


iu  
G



ORTUS,  
PROGRESSUS  
COLLEGII ACADEMICI  
SOCIETATIS JESU  
CLAUDIOPOLITANI. 17.  
AB ANNO M. D. LXXXIX.  
HONORIBUS  
ILLUSTRISSIMI  
DOMINI COMITIS  
PAULI HALLER  
DE HALLERKÖ.

Dum

In Alma Regia-Princip. S.J. Acad. Claudiop.  
P R O M O T O R E

R.P. GEORGIO DARÓCZI è S.J.

AA. LL. & Philos. Doct. ejusdémq; Profess.  
emerito, ac p. t. S E N I O R E

Suprēma AA. LL. & Phil. laurea insigniretur  
à Non-Loctoribus Condicipulis dicatus,

Anno Salutis M. D.CC.XXXVI. mense Aug. die

CLAUDIOPOLI,  
Typis Acad. Soc. JESU, per S. T. Weichenberg.

3183

-25-



# ILLUSTRISSIME DOMINE COMES NEO-DOCTOR.



*It, ut magna  
molientibus,  
magni quoque se  
offerant obices. Talem fuisse*

*longa-*

conatum nostrum experientiâ di-  
dicimus, cùm vetustissimam Pro-  
sapiam tuam, rebus domi militi-  
æque gestis, Religione in Deum,  
fide in Cæsares, pietate in Pa-  
triam, ceterisque inclytis faci-  
noribus magnam, scribere ag-  
grederemur. Vix enim manum o-  
peri admovimus, & jam exclamare  
cogebamur: ohe jam sa-  
tis est, ohe libelle. Scilicet  
viribus majora tentavimus, &  
oneri, quod humeri ferre nequi-  
bant, succubuimus, quando Il-  
lustrissimos Majores tuos, non  
unis definitos Provinciis, nos a-  
liquot phyliris, idque temporis  
spatiô minimè magnô circum-  
scribere posse putabamus, &

pro dignitate Familiae tux fa-  
cturos, sperabamus. Jam enim  
& tempora cum temporibus, &  
ætates cum ætatibus conferen-  
do, Historicos per volutavimus,  
ac multa quæ ad rem nostram  
facerent excerpta, chartis ille-  
vimus, quibus ad manum ha-  
bitis, tamen brevitas temporis,  
& multitudo scholasticarum oc-  
cupationum tantum otii nobis  
non concessit, ut opus dignum  
tuis natalibus, dignum erudi-  
torum conspectu, prodere audere-  
mus, cum præsertim Horatius  
(in arte.) moneat, hujusmodi  
partus, ut suis numeris absolu-  
ti sint, pluribus annis expoliens  
esse. Non umquam premantur

in annum. Scilicet fungorum  
est unâ nocte nasci, opus quod-  
piam ut etatem ferat, ut ocu-  
los legentium subeat, ac amores,  
permagni interest, diu ut fati-  
get calamum scriptoris, & in-  
genium. Hac ratione ducti, ut  
Tibi, tuæque Familiæ Illu-  
strissimæ dignos pararemus ho-  
nores, opus distulimus, non ab-  
stulimus, daturi plura & stu-  
diô congesta majore, quæ ex cer-  
tis luculentisque tum Familiæ  
tuæ, tum historiarum monu-  
mentis hausta, pertexemus.  
Macte igitur animis Illustrissi-  
me Domine Comes, quod dif-  
fertur non aufertur. Videbis lib-  
rum, in eoque Tuos suis pictos

coloribus amabis, ac ad paria  
audenda animos sumes & cal-  
caria. Interim libellum hunc,  
mole quidem exiguum, at argu-  
mento rerum plurimarum, ac e-  
ruditissimarum, omnino præ-  
grandem, videlicet: Ortum, &  
Progressum Academicum Colle-  
gii Claudiopolitani latus cape,  
in quo tanquam in bonarum ar-  
tium emporio, Majores Tui, qui  
sagô togâque in Patria ista in-  
claruerunt, sunt ex politi; in hac  
exerciti palæstra, multa pro-  
DEO, Rege, & Patria fecerût,  
& agendo heroica, & patiendo  
adversa. Centu ocloginta quin-  
que jam labuntur anni, cum Fa-  
milia Halleriana, ex Hungaria  
in

in Transsilvaniam immigravit,  
Ferdinando primo Rege, qui ut  
Regionem sibi ex pactis conven-  
tis debitam, armis vendicaret,  
Castaldum copiarum Ducem, cum  
aliquot suorum millibus adver-  
sus Isabellam misit An. 1551. In  
hoc exercitu, supremi Comis-  
farii bellici munere fungebatur  
Petrus Haller, primus Halleri-  
anæ in Transsilvania Familiæ  
Fundator ac Paren's, quem jam  
inde ab An. 1526. singulari fide  
& officio sibi probatum, Ferdi-  
nandus, Anno 1551. Consu-  
lem Cibiniensem, ac suum  
Consiliarium, altero, Judicem  
Regium & Thesaurariū Trans-  
silvaniæ creavit, ac denique

duobus post annis, amplâ pos-  
sessione Fejér-Egyház, & Lon-  
gondár in hæc verba donavit:  
Quòd nos attentis & confide-  
ratis fidelitate, & fidelium ser-  
vitiorum meritis, fidelis no-  
stri egregii Petri Haller ab Hal-  
lerstain, Thesaurarii partium  
Regni nostri Transsilvanarū,  
& Consiliarii nostri, quæ ipse  
sacræ primū Regni nostri  
Hungariæ Coronæ, & deinde  
Majestati nostræ, pro locorum  
& temporum varietate ab ini-  
tio Regiminis istius nostri  
Hungarici, nullis parcendo  
laboribus & expensis, summa  
cum fidelitatis constantia ex-  
hibuit, & impendit, exhibet-  
que

que & impendit etiam modo,  
totales Possessiones Fejér-Egy-  
ház & Longondár vocatas in  
Albensi, nec non Possessionem  
Portionariam in Possessione  
Balás telke vocata &c. memo-  
rato Petro Haller, ipsiusque  
hæredibus, & posteritatibus  
universis, dedimus, donavi-  
mus, & contulimus. Imò da-  
mus, donamus, & conferimus,  
jure perpetuō, & irrevocabili-  
ter. *Vertente rerum fortunā*,  
*cūm Isabella postulantibus Trans-*  
*silvanis, & auxiliantibus Tur-*  
*cis Anno 1556. ad Transsilvanię*  
*habenas rediijset, alterō annō,*  
*suprà laudatum Petrum Haller,*  
*collatā à Ferdinando omni Præ-*

fecturâ fungi ius sit, insuper Pos-  
sessiones illi tranquillas ac liberas  
confectô rite instrumentô reli-  
quit. Decessit Cibinii an. 1570.  
12. Decembris relictô hærede Ga-  
briele, qui Thesaurarii in Trâs-  
silvania ac supremi Comitis de  
Kükollo munere honestatus; Prin-  
cipem Botskai, cui à Consiliis e-  
rat, etiam affinitate conting-  
bat. Hunc ob perspectam in tra-  
ctandis Reipublicæ negotiis so-  
lertiam, Proceres dignum judi-  
caverunt, quem anno 1598. Vien-  
nam ad Maximilianum  
Archiducem, tum ut  
de Sigismundi reditu eum  
certiorem faceret, tum ut Trans-  
silva-

filvanis ac ipsi Sigismundo  
reconciliaret, cum his literis le-  
gatum mitterent.

Serenissime Princeps,  
Domine Domine no-  
bis clementissime.

In tam magna & subitanea  
mutatione istius Regni, nō du-  
bitavimus Vestrām Sere-  
nitatem, non nihil animō  
comotā nobis succensere. Cui  
rei quidem, cūm arduæ atque  
necessariæ causæ minimè de-  
fuerunt, quæ nos vel reluctan-  
tes impulerunt, ut periclitans  
Patriæ rebus maturè pro-  
spiceremus; placuit nobis, ut

ad **Vestrā Serenitatem** certos homines, & internuncios nostros : Generosos videlicet Gabrielem Haller de Hallerkō Comitem Comitatūs de Küköllō, & Lucam Trausnerum Claudiopolitanum, cum mandatis expidemus. Quapropter **Vestrā Serenitatem** demissè rogamus, ut illis fidem indubiā adhibere, & in promovendis hujus Provinciæ negotiis gratiam & clementiam suam testatam facere dignetur. Cui nos diligenter commendamus, felicemque ac prosperum rerum successum, eidem

exoptamus. Datum in Oppido  
Tordensi 29. Augusti An. 1598.

Nec minora sunt Filii ejus  
Stephani Haller in Rempubli-  
cam merita , qui Patre anno  
1611. è vivis sublato , ei Comi-  
tatui Supremus Comes præ-  
fuit, ac quatuor ævi sui Prin-  
cipum Consiliarius , variis le-  
gationibus ad Romanorum Im-  
peratorem, & Vezirium Por-  
tæ Ottomanicæ summa cum sa-  
pientia obitis , præclaram sui  
ad posteros memoriam reli-  
quit. Sed exigua sunt hæc , si  
in comparationem veniant cum  
ardentissimo illo Religionis Ca-  
tholicæ retinendæ studio , quô ab  
incunabulis innutritus Stepha-

nus, immortale ac omnibus seculis meritò celebrandum ejusdē in Filio suo Gabriele edidit documentum, quod nos in annum sequentem profusioricalamo scribendum, ac illustrioribus encomiis celebrandum, transmittimus. Clausit diem suum anno 1657.

Virtutem virtuti, hoc est Filium Patri, Joannem Haller, jungimus; cuius eximia pietas erga Religionem Catholicam tunc enituit, quando eandem in Partibus Societatis oppugnatam, contra Adversariorum conatus in publico Conventu acerrimiè defendit. Nam cùm Transsilvani jugo barbarorum attriti, respire rare

rare aliter se non posse intelligerent, quam si in ditionem Leopoldi Cæsar is concederent, ei se regendos certis conditionibus diderunt, inter quas una erat de Societate pellenda. Hic enim verò Joannes Haller, accepti beneficii an officii memor? quæ scientiarum præsidia in Collegio Claudiopolitano comparaverat, iis pro defendenda Societate usus, iniquissimæ postulationi cū non nullis aliis Catholicis palam restitit, atque ut ea conditio expungeretur, effecit. Migravit è vita septuagenariō major, anno 1697. 28. Februarii. Primariis Provinciæ dignitatibus, eximia cum laude gestis (erat enim

enim duorum Principum , post  
etiam Regii in Transsilvania Gu-  
bernii Consiliarius intimus , ac  
Provincie Thesaurarius , Inely-  
ti Comitatūs Tordensis Supre-  
mus Comes ) nec dispare Rei-  
publicæ fructu , legationibus ad  
Romanorum Imperatorem &  
Portam Ottomanicam habitis .  
Dignus quem Societas gratâ  
memoriâ prosequatur , & omnes  
Catholici imitentur , quorum Fi-  
lli , hic ad omnem Christianæ pie-  
tatis , ac scientiarum partem , in-  
emptâ labore instituuntur , ut  
cum tempus locusve dederit , sci-  
entiis hic haustis , ad Collegium  
istud si non amplificandum , sal-  
tem certè defendendum utantur .

Nam

Nam ut hoc quoque obiter dicamus, antequam hoc Collegium conderetur, nusquam totâ Transsilvaniâ Catholicæ bonarum artium patebant scholæ, nulli liberalium disciplinarum aperiebantur ludi, & si qui erant (erant autem pauci) aliquâ scientiâ prædicti, eam ex Italia aut Gallia magnis impensis & labore partam, secum iu Patriam aduexerunt.

Jam ut aliquid, quantum compendii & præfationis ratio postulat, de Avo quoque Tuo Comite Stephano Haller dicamus, illud dixisse sufficiat: eum præclara Progenitorum suorum vestigia, non tantùm æquavisse,  
sed

sed & superavisse, primus quippe est qui titulos Comitis stirpi Tuæ intulit, quos ob navatam egregiè rebus Cæsareis operam, à Leopoldo est consecutus, qui difficillimis illis intestinarum factiōnum temporibus, Regii Gubernii Consiliarius, Statuum ac Regiæ Tabulæ Præses, impositum sibi Magistratū, integrâ in Principem fide, quoad vixit gessit. Paria quoque de Patre Tuo, bonæ memoriæ Comite Ladislao Haller nobis polliceri ausi essēmus, nisi viridi ætate florentem, mors imatura Patriæ decerpisset. Quem anno 1719. abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Deni-

Denique res & locus postularer, ut Illustrissimi Patris, Filium Excellentissimum, Patruum Tuum, Comitem Joannem Haller, suis laudibus, & meritâ prædicatione celebraremus, nisi magnitudinem meritorum ejus, & tenuitatem eloquentiae nostræ obstare videamus. Quem cum nominamus, compendium Hallerianarum virtutum, id est omnium earum, quæ Viros in hujusmodi fastigio collocatos commendare debent, Tibi exhibemus. Ea est rerum Politicarum, cum morum probitate conjuncta scientia, hanc Excellentissimus Patruus Tuus mirò nexu sociatam, ita sibi domesticam

cam reddidit , ita geminâ bac-  
dote ornatus , in luce istius Pa-  
triæ versatus est , ut Eundem  
anno 1734. acerrimus  
virtutum Censor Augustissimus  
Cæsar , Transsilvaniæ Guberna-  
torem dixerit . Quo in mune-  
re , nihilô majores sumpsit spi-  
ritus , sed quam animo insitam  
lenitatem habet , ore ipso ac ser-  
mone ad omnes urbanitatis de-  
licias conformatô , in accipien-  
dis quicunque ad ipsum adirent ,  
expromit , usque adeò cum gra-  
vitate & moderatione cando-  
rem , humanitatē , comitatēmq;  
conjungit , ut nemo ullū unquam  
in eo commotioris animi , ne dum  
perturbati signū deprehendat ,  
sui-

suimetipsius semper potens & arbiter. Hac arte facile in animos infra se positorum illabitur, quorum causas è juris formulis legitimè cognitas, ac rationum momentis libratas, sapientissimâ juxta atque aquissimâ sententiâ de idit, nulla apud eum judiciorum ac sententiarum nundinatio, non judicum ora vincita muneribus, non aures clausæ pretio tenentur, non artibus veteratoriis implicatae lites, in forensi tabulario senescunt, immortales aliquando & æternæ, nec egestas innocens vietam se nummarii urnâ deplorat. Sed dies nos deficiat, si omnem ejus animi ornatum,

ac præclaris factis contestatam  
virtutem quotidieque se se altius  
efferentem, in medium adfera-  
mus; cui exequandæ sermonem  
nostrum non esse, ultiro prudentes  
ac volentes fatemur.

Nobis non licet esse tam disertis,  
Qui Musas colimus severiores,  
Nec tanti meriti virū canentes.

Quem nō titulo duntaxat, sed  
¶ virtutum ac rerum gestarum  
tenus Excellentissimum esse,  
perspectum planè habemus, at-  
que compertum.

Habes Illustrissime Domine  
Comes rudi adumbratam peni-  
cillō, seu verius summis tan-  
tum duilibus inscitè tentatam  
Majorum Tuorum imaginem.

Pau-

Paucos attulimus, eōsq; qui rectō  
dunt axat tramite à stirpe descen-  
dunt, plures adferre potuissimus,  
sed moles libelli plures adferri non  
patiebatur. Ex ungue Leonem,  
Gygantem advertis ex umbra,  
generis Tui magnitudinē ex pau-  
cis, qui in Academia ista præcla-  
rissimorū effectrice virorū rudi-  
menta posuerunt & morū & li-  
terarū, quæ in eam gloriæ messē  
non maturuissent, nisi isthic ja-  
Ela fuissent, atq; enutrita. Quo-  
rum vestigiis ut Tu quoq; insistas,  
identidē illud Tibi in mentē revo-  
ca, qui sis, ex quibus ortus sis.  
Magnus Tibi campus patet in  
Republica, apertus ad gloriam  
cursus. Magnū babes ex Avis


Ata-

Atavisque Tuis ad magna pro  
Republica præstanda calcar, da  
operam, ut eorum vestigiis insi-  
fas, cùmq; procedente tempore  
ad clavum Reipublicæ federis,  
Academiam hanc, quam virtu-  
tibus ac literaturâ exornavisti,  
ope ac authoritate tuearis. Ita  
vovent

## Honoris Tui

Studioſiſſimi

PHILOSOPHI  
CLAUDIOPOLITANI.



# C A P U T I.

## *Crtus Societatis JESU.*

**S**anctus Ignatius de Loyola  
Societatis JESU Fundator,  
natione Hispanus, natus est  
in Gipuscoa Anno 1491. Patre Bel-  
tramo, Matre Maria Saezia Balda, li-  
berorum undecimus, qui anno ætatis  
30. Christi verò, 1521. in propugnan-  
da Pampelonensi contra Gallos arce le-  
taliter sauciatur: sed singulare DEI be-  
neficio sanatus, suspensis in montis  
Serrati templo armis, ac mutato, in  
vilem peregrinorum, corporis ornatu,  
in specum Miorellanam, aliud vi-  
vitæ genus capessiturus se abdit, in qua  
amplius decem menses conoratus li-  
brum Exercitiorum componit 1522.  
Post in Palæstinam navigat; inde Bar,

cinone, Compluti, ac Parisiis, literarū causā versatus, adjunctis sibi 10. Socijs, cum quibus anno 1536. 15. Augusti, expiatō confessione peccatorum animo, sumptōque pane cœlesti, in ædē suburbana montis Martyrum se in perpetuum DEO consecrat, ac prima Societatis rudimenta ponit, quæ deinde Societas, Romæ Año 1540. 27. Septembris à Paulo III. confirmata, per varias Orbis partes propagata, perlata etiam in Transsilvaniam est, quæ licet modicis finibus circumscripta, instar ingentis nihilominus theatri fuit, in quo Religio Catholica varijs jactata casibus, modò ejecta, modò revocata, funesto demum exitu pulsa, templis, urbibusque cessit. Eandem, ac Religio fortunam experta Societas est, ab indigenis, ab Arianis, à Calyinianis, ab ipsis Turcis foedè vexata, Juvat statum omnem hujus Regionis paulò altius repetere, ut ista quasi fax lucem iis, quæ dicentur, præferat.

## §. I.

*Transsilvaniæ conspectus.*

Transsilvania jacet infra Poloniam & Hungariam habet ab occasu, Moldaviam abortu, Valachiam à meridie. Hanc circa annum à Virginis partu millesimum Hunni, qui postea Hungari appellati sunt, è Scythia prorumpentes, occuparunt. Inter septem illorum Duces primarios eminebat, ceterisque velut imperitabat Gyula, Sancti Stephani Regis Hungaroru primi, avunculus. Quem Religioni Christianæ in Hungariam recens inventæ adversantem, & hostiliter infestum, idem Stephanus debellavit, ac Transsilvaniam Regno Christi, & suo adjecit. Ab eo tempore paruit Hungariæ Regibus Transsilvania, qui per Vajvodas, hoc est, Praefectos, seu Gubernatores eam administrabant. Anno MDXXVI. Joannes Zapolya,

unus ex illis Gubernatoribus, mortuo  
 ad oppidum Mohatsium Ludovico II.  
 Rege, Principatum invasit, seq; Re-  
 gem Hungariæ appellandum ab una  
 Procerum parte in Comitiis Regni  
 curavit. Sed altera, meliorque pars  
 Comitiorum, Ferdinando Archiduci  
 Austriæ, Caroli Cæsaris fratri, cui An-  
 na Ludovici II. soror nupserat, Regnū  
 detulit. Hinc bellum grave ac diu-  
 turnum, quod iis demum legibus com-  
 positum fuit, ut Zápolya Transsilvani-  
 am totam, & certam Hungariæ par-  
 tem cum titulo Regis, donec suppe-  
 ditaret vita, retineret: eo mortuo ju-  
 noménque Regni ad Ferdinandum re-  
 diret. Extinctus est Zápolya anno  
 MDXL, relieto in cunis filio Joanne  
 Sigismundo, quem suscepserat ex Isa-  
 bella Sigismundi Regis Poloniæ filia.  
 Hæc Transsilvaniæ possessionem cùm  
 sibi arrogaret, Ferdinandi armis victa  
 cogitur in Poloniam se recipere; unde  
 Turcarum opibus in Transsilvaniam re-  
 posita

posita est cum filio Sigismundo , qui  
 post obitum matris anno MDLVIII.  
 Principatum obtinuit usque ad annum  
**MDLXXI.** Tunc Proceres Transsil-  
 vani Principem sibi imposuerunt , re-  
 clamante Rege Hungariæ Stephanum  
 Batoriū. Is postea an. MDLXXVI.  
 creatus Poloniæ Rex , Transsilvaniam  
 fratri suo Christophoro Batorio ha-  
 bendam tradidit. Successit anno  
**MDLXXXI.** Christophoro filius Si-  
 gismundus , qui anno MDXCIII. Tran-  
 silvaniam Rudolpho II. Imperatori ces-  
 sit certis cōditionibus. Sed statim mu-  
 tata mente , Principatū repetens , graves  
 inconstantiae pœnas dedit. Post ejus  
 obitum , qui anno MDCIII. contigit ,  
 Rudolphus Imperator , & Rex Hunga-  
 riæ Transsilvaniam recepit , nec eam  
 tamen diu pacatam habuit. Quippe  
 anno MDCIV. Stephanus Botkajus  
 collecta seditionorum , ac Turcarum  
 manu ipsi bellum intulit , & magnam  
 Hungariæ partem cum Transsilvania

occupavit. Botskaiο sufficitus est anno  
MDCVI. à Transsilvanis Sigismū-  
dus Rakoczius, qui turbarum ac bel-  
lorum tædio Principatum deposuit an-  
no MDCVIII. eum sibi vindicavit Ga-  
briel Batorius, ope Turcarum implo-  
rata : sed eorumdem auxiliis fretus  
Gabriel Betlenius Batorium acie vi-  
ctum anno MDCXVI. deturbavit ,  
ac Transsilvaniam usque ad annum  
MDCXXX. tenuit.

## §. II.

### *Religionis, & Societatis in Transsil- vania status.*

**A**ptus est è Principum, ac Regno-  
rum fortuna, ut plurimum status  
Religionis: florent una, jacēntque ;  
perturbantur, aut quiescunt. Inter-  
tantos Transsilvaniæ motus, tam cre-  
bras publicæ rei, ac profellosas incli-  
nationes, non potuit Religio tranquil-  
la consistere, ac suspicari jure licet in-  
ter-

ter necina bella , & civiles discordias ,  
 quibus Regio miserrima sæculo toto  
 laboravit, inde ortas esse , quòd su-  
 sceptam anno MIII. à S. Stephano Re-  
 ge Hungariæ Catholicam fidem, & per  
 quatuor admodū secula feliciter con-  
 servatam , abjecisset. Hæreseos in-  
 dicendæ hortator atque auctor anno  
 MDXL. extitit Petrovicius , Joanni  
 Sigismundo tutor datus , ut minorem  
 pueri ætatem , ac Reginæ Isabellæ con-  
 filia regeret: homo clàm Lutheranus  
 primùm, deinde palàm Arianus. Re-  
 ligionis excidium timentes Stephanus  
 Batorius, & Christophorus ejus fra-  
 ter, Societatem JESU in Transsilvaniam  
 induxerant anno MDLXXIX. Colle-  
 gia Claudiopoli, & Albæ Juliæ funda-  
 verant , magno Catholicorum gau-  
 dio, & emolumento , Hæreticorum  
 dolore non minori : quorum partes  
 cùm indies numero , & viribus auge-  
 rentur ; ab illis publico decreto Comi-  
 tiorum expulsa Societas Transsilvaniae

finibus est anno MDLXXXVIII.  
Restituta fuit MDXCV. Catholicorū  
suffragiis. Albam Julianam coacta dese-  
rere MDXCVIII. in eāmq; post bien-  
nium revocata. Sed anno MDCIII.  
Collegium Claudiopolitanum ab Arria-  
nis funditus est eversum, homines So-  
cietatis expulsi, unus trucidatus. Illos  
Georgius Basta, missus à Cæsare ad  
Transsilvaniā recipiendam, in eandē  
urbem anno sequente restituit; ejecit  
anno vix elapsō Senatus Claudiopo-  
litanus, cuius decretum Stephanus  
Botskaius & consecuti Principes con-  
firmārunt, ac Societatem totā Tran-  
silvaniā exegerunt. Remansere ta-  
men aliqui ē nostris mutato cultu, ad  
colligenda Religionis naufragia, & Ca-  
tholicos perditissimis temporibus o-  
mni ope sublevandos: donec anno  
MDCLXXXVII. redditā legitimis  
dominis Transsilvaniā, & Religio me-  
liorem in statum reducta fuit. Jam  
singu-

singula quæ ad historiam nostram per-  
tinent, distinctius evolvenda sunt.

## CAPUT II.

*Ingressus Societatis in  
Transsilvaniam, Collegii Clau-  
diopolitani fundatio.*

An.C. MDLXXIX. Soc. XL.

VOCATA igitur Societas est in Transsil-  
vaniā à Stephano Batorio, ejúsq;  
fratre Christophoro Batorio anno  
MDLXXIX, cuius occasio hæc exti-  
tit: Agebat Agriæ Lelesius. Eum  
Joannes Kallai vir nobilis, famâ viri  
comotus, ab Agriensibus Canonicis  
imperatum suos in pagos accersit.  
Non multū apud eum profecit, sed  
in tres incidentes Transsilvanos, qui sa-  
cerorum ordinum causâ ad Episcopum  
Clanadiensem venerant, audiensque

ex iis de parata in Transsilvania messe, oblatam sibi divinitus occasionem ratus ; expeditus , ac levis, nullo vi- tæ subsidio manitus , omnium rerum egenus, stipem tantum largiente No- bili Hungaro, dat se se in viam. Va- radini , quam primam urbem Transsil- vaniæ inijt, publica gratulatione ex- cepto hospitium adornant , œcono- mum destinant , publico ære suppe- ditant victimum. Sed Pater ad Chri- stophorum Batorium Vajvodam Ste- phani Regis fratrem festinans , po- stridie se , quanquam ægrè , ex eorum manibus explicavit : qui faustis pre- cationibus , & pecuniâ in elemosy- nam prosequuti sunt abeuntem. Ter- tio die Claudiopolim , quod Kolosvár hungaricè est , Francisci Davidis Tri- nitariorum Antesignani sedem perve- nit. Hic ubi inauditum , adesse Jesui- tam ; lumen cœlitus affulisse bonis diceres. Turmatim accurrunt , ad ge- nua accidunt , manus , vester , quod  
pre-

prehendere quisque poterat , osculan-  
 tur , lachrymis , & singultibus inclu-  
 dentibus verba . Comorant & Patri  
 viscera : atque , ut statum Regionis  
 intelligens , inter prandendum tres sat  
 grandi natu baptismo perfudit : totum  
 diem in eo ministerio positurus , si  
 consilium fuisset subsistere . Aliquot  
 præterea in itinere baptizatis , Albam  
 Julianam ad Principem venit . Exultare  
 ille lætitia , omni benignitatis officio  
 prosequi hospitem , vetare abscedere :  
 quin se quam plurimos primo quoq;  
 tempore ei Socios acciturum . Proti-  
 nus sedem Claudiopoli Collegio desti-  
 nat , datusque ad Suffnum Pontificem , &  
 Patrem Generalem literas , ad Patres  
 Provinciæ Austriæ , ad suum fratrem  
 Poloniæ Regem : contestans exiguo  
 tempore innumeros prope mortales  
 partim infirmos in fide , ac nutantes  
 statutos , partim falsis opinionibus ir-  
 retitos ad veram pietatem Lelesii con-  
 cionibus , innocentique vita tradu-

Etos: addito in literis ad Regem Stephanum, quo die eas literas ipse dederat, eo die quadraginta Arrianos suscepisse Baptismum. Illum opportunitissimum esse Societatis inducendæ articulum, cum Hæresiarcha David, novis opinionum monstris progeneratis, ex odio populi datus esset in carcere. Hæc fecere, ut Romæ Pontifex, Stephanus in Polonia sedulò urgenterent rem. Itaque lectos decem Socios Provincialis Poloniæ Sunyerus Kalendis Octobribus Claudiopolim induxit. In his Jacobum Vangrovitium, qui ceteris præcesset, ab Vilnensi Collegio, quod regebat, & Aloysium Odescalum latinè concionaturum ab Cracoviensi sede translatos. Nullū prope tota in Transsilvania reliquum erat templum ea tempestate, quod non occupassent Hæretici. Ac ne ipse quidem Princeps, nisi domi privatim divinis mysteriis, & prædicationibus audebat interesse. Societati attributa

ta sedes est in Abbatia Kolosmonontra  
 nomine, extra Urbem, verum adjun-  
 eta suburbii. Sed illud admiratio-  
 ne non caruit, fuisse in Conventu Pro-  
 vinciae Societatem liberè admissam, ut  
 cuncta, quæ soleret, tractaret mune-  
 ra. Et Calviniani quidem Prædican-  
 tes strenuè obluctabantur, ut Nobili-  
 tas, quamvis & ipsa hæretica supera-  
 vit, Magistrorum cupidine, qui la-  
 psam omnino institutionem teneræ æ-  
 tatis, unde barbaries, & cuncta vi-  
 tia succreverant, revocarent. Mo-  
 mentum tamen maximum erat in  
 Principe: qui cum rebus ceteris, tum  
 studio veri cultus, germanitate Ste-  
 phani Regis se dignu præstabat. Sed  
 Stephani supra ceteras laudes digna  
 quoque relatu est modestia, & sapien-  
 tia singularis. Nam cum Societatis  
 operâ plurimū uteretur; in opera-  
 rum delectu, aut distributione, nūl sibi  
 penitus assumebat, cuncta integrè  
 Societatis relinquens Præsidibus. Ita-

que quamvis Patris Viaræ labores admodum probaret ; tamen revocante eum Everardo, ne aulæ usu nimio Religiosæ disciplinæ vis relaxaretur, moram nullam injecit. Quo de beneficio Regi rescribens Pater Generalis , Simul, inquit, Majestatis vestræ sapientiam admirati sumus, quæ id planè perspexerit, quod res est : Nullam posse Religiosæ disciplina majorem plangam afferri, quam si ejus libera administratio extrinsecus impediatur. Hac igitur utens sapientiâ, cùm item Societati Nepotem suum erudiendū permitteret ; id voluit citra tamen disciplinæ domesticæ incommodum fieri. Regis Stephani conatus egregiè æmulabatur ejus frater Transsilvaniae Princeps, Claudiopolitanum Collegium urgens. Quod hoc demum anno MDLXXXVIII. est suis numeris absolutum , ad hanc enim diem in Abbatia Kolos-Monostra prope Claudiopolim, Jacobo Vangrovitio Præfecto pauci

pauci comorabantur, & præter conciones eo fructu habitas, ut pagi tres jam ad Collegii vestigalia assignati, ad fidem prope converterentur, docere etiam literas ceperant. Sed cum fructus speraretur amplior, si ipsam in Urbem Scholæ inducerentur, ad Collegii sedem Christophorus Batorius Vajvoda, Regis Polonorum Stephani frater, pro singularisua in Catholicam Religionem voluntate templum, & Cœnobium, quod olim fuerat Franciscanorum, tum erat planè desertum, attribuit. Locus in proximo dum idoneus instituendo Gymnasio quæritur, Cancellarius Principis, & P. Stephanus Arator in Cœnobium Monialium item vacuum, una duntaxat vetula superstite, eāq; jam pridem cœcâ, locum exploraturi venere. Quos, ut adesse vetula sensit, causamque cognovit; narrabo, inquit, vobis somnium meum: videbar cum sororibus meis in Sacello nostro

præsens interesse, dum Canonicæ preces decantarentur. Quibus absolutis ita me quædam è sororibus compellare visa est: Mater memineris, hoc in loco Scholas Catholicas excitatum in statimque his dictis visio omnis evanuit. Nunc igitur lætor plurimū, quod & Religiosorum in potestatem ædes hæ veniant, & instituendæ juventuti dedicentur. Haud multis post diebus defuncta est vetula, & in Collegii templo sepulta. Ædes ad docendum, & ad incolendum properè concinnatæ, in eásque Aprili mense ex Kolos-Monostra migratum.

### §. I.

*Comitia Generalia Claudiopoli habita: irritus Hæreticorum in nos conatus.*

**K**Alendis dehinc Maij Comitia Generalia Princeps Claudiopoli habuit, in quibus Nobilitas successorem ei

ei juravit Sigismundum filium ætate  
 fermè octennem : itēmque decretum,  
 ut, si quæ civitas, aut frequens popu-  
 lis Catholicos cuperet Sacerdotes,  
 fraudi ne esset Principi eos conce-  
 dere. Existimārunt Patrés per eam  
 Comitiorum celebritatem , præser-  
 tīm quod Hæretici ministri sparserant,  
 eos formidare disputandi certamen,  
 Catholicæ causæ fiduciam , ac boni-  
 tatem aperiendam. Itaque Theses de  
 Verbo DEI Cracoviæ typis excusas ,  
 publicè disputandas proponunt, & ple-  
 risque Ministrorum, qui amplius quin-  
 quaginta convenerant, tradunt: qui  
 initio cunctantes , Nobilium compulsi  
 propè convicio , receperē tandem se  
 disputationi adfuturos, & quidem ita  
 acriter conserturos manus , ut Jesuitis  
 etiam præ terrore capillus inhorresce-  
 ret. Hoc paratiōres nostri dictam  
 certamini diem expectabant. Co-  
 vit hæc fiducia Antesignanos erroris:  
 diūque conceptum erga veritatis præ-  
 cones

cones odium graviter irritavit. Ica-  
 que Arianorum Præfectus, quem E-  
 pisycopum Evangelicum ipsi appellant,  
 in ipsis Comitiis cùm exposuisset ma-  
 gno cum animi sui dolore, quàm faci-  
 lè Jesuitæ intra biennium multos pa-  
 gos, urbésque duas occupâssent, cœ-  
 pit implorare fidem, & auxilium No-  
 bilitatis, ne se, & Verbum DEI à Je-  
 suitis opprimi paterentur : ac pro-  
 ferens, quas ad eum quoque Patres  
 miserant theses, & palam ostentans  
 cum clamore miserabili, & querula  
 voce, videte, inquit, Domini Ma-  
 gnifici, quemadmodū & thesibus, &  
 disputationibus adversus Regni tran-  
 quillitatē laceffere haud nos dubitant.  
 Vix quatuor, aut quinque numero  
 sunt ; & jam quietis per illos in Re-  
 gno nobis esse non licet : quod nisi  
 mature provideritis, & primo quo-  
 que tempore exterminaveritis, haud  
 dubium est, quin brevi iterum abo-  
 minanda Idololatria Papæ, Imagines,  
 &

& Sanctorum tanquam multorum De-  
 orum adoratio in omnes Civitates in-  
 troducatur , ex quibus cum ingenti  
 labore ante paucos annos extirpavi-  
 mus. Hic cum aliquamdiu Nobilitas  
 tacuisset , assurgens unus ; Audi , in-  
 quid , Demetri ( hoc erat Ariano Ar-  
 chimystæ nomen ) num ignoras , de-  
 cretum esse Regni , ut cuivis Nobiliū  
 fas sit ejus fidei præconem in suis præ-  
 diis habere , quam ipse profiteri ve-  
 lit ? Cur igitur nostro clarissimo Prin-  
 cipi succenses , quod suæ Religionis  
 homines in Civitates suas , & Pagos  
 induxerit ? An æquum est privato  
 Nobili , auctoritate , & conditione post-  
 ferri Principem : Esto igitur , Deme-  
 tri forte tua contentus , ne , dum nimis  
 multa complecti vis , amittas etiam  
 ea , quæ possides . Nihil reliquum  
 fuit Demetrio , aut cuiquam Adver-  
 sariorum , quod contra blateraret :  
 sed addidit quidam Nobilium Catho-  
 licorum , nunquam legimus , Aposto-  
 los

los contra eos , qui cum ipsis di-  
 spūtare voluissent , Sæcularem pote-  
 statem implorâsse , quemadmodū iiti  
 faciunt : qui tamen Apostolici viri  
 haberi volunt . Hæc cùm Catholici  
 facerent , quia tamen Hæretici longè  
 numero superabant , inter cætera Ca-  
 pita proposuere Principi , ne Romanæ  
 fidei Doctores ( ita appellabant homi-  
 nes Societatis ) quos Claudiopoli col-  
 locâsset , & quibus Albæ quoq; Juliæ  
 Cœnobium tradidisset , in alia loca  
 posthac introduceret , nisi major pars  
 Pagi , aut Civitatis , quæ eos Doctores  
 petat , Religionis ejusdem sit . Adeò  
 suis prædis Satan pertimescebat . Adeo  
 rat jam dicta disputationi dies : venit  
 cuncta Nobilitas in Collégium : venit  
 Princeps cùm filio : ingens hominum  
 numerus confluxit . Nullus aderat Mi-  
 nistrorum , quorum erat contra pu-  
 gnare : conquituntur ; nullus appa-  
 ret : omnes videlicet evanuerant . Adeò  
 ut inter se se Patres exercitationis  
     gratiæ

gratiâ, & ad illustrandam veritatem disceptare cogerentur. A meridie Transsiliyani Adolescētes, fabellā, Principe item Proceribūsque spectantibus, edidēre: quibus ita illud liberalis institutionis specimen arrisit, ut certatim Nobiles, quanquam Hæretici, suos liberos Collegii disciplinæ comitterent. Omnidò spes erat rei bene gerendæ optima: nam & paulò antè uxor Vajvodæ asylum Hæreticorum, & columnen, mortem oppetiverat: & Nobilitas per Scholarum utilitatem sensim deliniebatur; & Sigismundus destinatus Patri successor egregiam præ se ferrebat indolem, cùm Princeps ipse Christophorus, quo cuncta hæc nitebantur, occubuit.

### §. II.

*Christophori Transsilvaniae Principis mors pia. Stephani Regis Poloniae, in tuenda Societate studium.*

**C**omitiiis Claudiopoli peractis, Albam

bam Julianum regressus , morbo cor-  
ripitur , sextoque Kalendas Junii de-  
cedit . Nunquam supremo tempore  
Lelesium abesse permisit : tantaque  
optimus Princeps cura ad novissimum  
illud aeternitatis negotium sese com-  
paravit ; ut nulla de re aliquot dies  
sermones voluerit audire , nisi de DEO ,  
vitaque beata . Versiculis multum  
delectabatur eis psalmis Davidicis , eis  
que praecipue . In manus tuas Domi-  
ne commendabo spiritum meum : quem  
jussit sibi etiam postquam sensus cor-  
poris vis mali obstupefecisset , identi-  
dem in auriculam insuffrari . Hoc in-  
tempestivum funus curam injecit  
Patribus , qui tanquam orbi , & in-  
ermes inter hostes , & arma relinque-  
bantur : Nec dubium fuit , quin nisi  
uxorem Principis haereticam ( uti dixi )  
DEUS de medio sustulisset , ea conti-  
nuo Patres , antequam Stephanus Rex  
edoceretur , aut succurreret , Transsil-  
vania fuerit ejactura . Jam vero  
H<sup>A</sup>

Hæreticos Proceres sublata femina  
duce, ut potè destitutos capite, Ste-  
phani Regis metus facile compescuit.  
Deinde perspecta in eo est DEI clem-  
tentia, quid paucis antè diebus, uti  
retuli, Sigismundum puerum successo-  
rem Patri Nobilitas declarârat: cui  
cùm subinde vexillum quoque Turca-  
rum Imperator misisset argumentum  
probatorum ab eo comitiorum, per-  
petuandique foederis pignus; ea quo-  
que res valuit ad seditionis, ne  
quid moliri auderent, animos inhiben-  
dos.

Stephanus autem ubi certior factus  
est de fratribus excessu, non destitit,  
gravissimis verbis tum consolari Pa-  
tres, ac suum ipsis Patrocinium de-  
ferre, tum causam eorum per literas  
commendare Proceribus, ac separatim  
Claudiopolitano Prætori: affirmans,  
existimaturum præstitum sibi, quid-  
quid eis charitaris humanitatisq; præ-  
staret, idem Rex, quippe Sigismundi  
tutor

tutor, administratione suscepta, idoneum se missurum Præfectum dixit. Interim quemadmodum Princeps Christophorus decreverat, Sigismundum in Lelesii disciplina voluit permanere; idem Claudiopolitani Collegii institutionem comprobavit, sua manu quibusdam interjectis, mutatisque, quæ magis ad dignitatem, munimentumque Collegii pertinerent, eidemque Collegio, quod antè pagos tres, nempe: Monostor, Bács, Jegenye, possebat, totidem, videlicet: Bogártelke, Tiburcz, Kajántó, qui ad Abbatiae ejusdem jura spectabant, id quod etiam Princeps Christophorus destinârat, ære suo redemptos, pro instituta ab se Academia, adjecit.

### §. III.

*Quatuordecim è nostris eunt in Transsilvaniam. In instituto Seminariorū, eorumque utilitas.*

**U**T res Catholicorum, ac Societatis magis

magis firmaret Stephanus Rex, plures  
 Socios in Transsilvaniam mitti à Cam-  
 pano postulavit, qui, indictis totâ  
 Provinciâ pro rei successu mille qua-  
 dringentis sacrificiis, bis mille rosa-  
 riis, Varsaviâ cum egregio operarū  
 manipulo iter cepit. Numero qua-  
 tuordecim ibant, suis cuique ad con-  
 servandum ordinem, ut domi fit, mu-  
 neribus distributis, ac nominatim exer-  
 citationibus spiritualibus in comune  
 proponendis Præfecto Ferdinando Ca-  
 pecio. Is erat Neapolitanus, genere  
 Nobili, quem Philosophiæ curriculū  
 docendo vixdum permensum Claudio  
 Generalis Claudiopolitão Collegio præ-  
 futurum miserat, commendatione ea  
 prosecutus: mitti hominem, quem  
 verè dicere posset non solùm secun-  
 dum cor suum, sed etiam omnium,  
 qui illum nōssent. Non dubitare, quin  
 idem de ejus virtute, prudentia, do-  
 ctrina, & dexteritate in agendo futu-  
 rum esset in septentrione judicium.

Una missus est haud dissimili , ut  
 rebatur , cum laude morum , atque  
 doctrinæ Hieronymus Fanfonius. Igi-  
 tur , dum pergit plena animi lecta  
 cohors , & tanquam acie instructa ,  
 Somlii Natalitia Domini celebrârunt ,  
 magno cum & Dynastæ , & populi  
 fructu. Præerat Stephanus Batorius ,  
 Andreæ , qui hoc ipso anno creatus  
 est Cardinalis , frater , qui post hæ-  
 reticam uxorem ductam nutare vi-  
 sus , planè confirmatus in Catholica fi-  
 de est. De ejus voluntate novum  
 Calendarium promulgatum est. Insti-  
 tit idem ab discedente Provinciali , ut  
 Sacerdotem sibi de Societate relinque-  
 ret , quod ipsum turmatim accurrens  
 Somliensis populus flagitabat. Sed  
 antè inspiciendum sibi Societatis , ac  
 Regionum statum Campanus ratus , spe  
 relicta pro re , pridie Kalendas Ja-  
 nuarii Claudiopolim intrat. Non do-  
 mesticis modò , sed Catholicorum u-  
 bique reliquiis tanquam ex densa no-  
 te ,

Et, cœcisque tenebris, tam opportuno subsidio lux oborta. Continuo pro suo more Campanus in comuni socios alloquens, duo præcipue commendavit : ut Beati Ignatii exercitia ad conservandum, alendumque virtutum studium permagni facerent. Deinde eò conatus dirigerent, ut propriam vivendi Societatis rationem bene haberent perspectam, séque ad eam totos componerent : Ea cohortatione exercitiorum voluntate omnes incensi, eorumque sibi copiam fieri, datis libellis postulârunt ; imprimisq; Rector Jacobus Vangrovitus ( alio nomine Wiecus ) & designatus ei successor Capecius. Nec pepercit labori suo Campanus, tum ut ipsos juvaret domesticos, tum ut hos in usu tam salutaris teli ad proximorum utilitatē erudiret : eoque accuratiūs Capecium, & aptissimos quosque percoluit. Quia in cura propè mense exacto, Albam Julianam ad Principem, & Regni Præsi-

des abiit. Indolem Sigismundus Prin-  
 ceps præferebat, quām fingi votis pos-  
 set, egregiam, ac Religionis veræ  
 studium supra ætatem. Re ibidem ad  
 voluntatem gesta, Claudiopolim re-  
 versus, hic quoque Senatum habuit  
 haud sine aperta Numinis providen-  
 tia ( omnes enim erant hæretici )  
 propitium, ac benignum. Nam ad  
 Pontificium, Regiūmque Seminarium  
 cùm Possevinus anno superiore Regis  
 auctoritate connitens, ægrè conduicti-  
 tum diversorum expressisset, ut mul-  
 tæ optimo loco ædes emerentur, con-  
 cessere. Additum est, & cæmeterio  
 instituendo spatium, quod Rex ipse,  
 veritus, ne impetrabile in urbe non  
 esset, extra moenia condi mandarat.  
 Ita Seminarium rectè constitutum, &  
 pauperum quoque Adolescentium ex-  
 citatum ab eodem est contubernijum.  
 Quod deinde Ferdinandus Capecius  
 Rector, facto ei à Sanctissima Tri-  
 nitate, cuius cœnobii ædes incolebet,  
 nomi-

nomine, impensa propè una Collegii  
 ita promoverat, ut octoginta nume-  
 raret contubernales. Hi funera publi-  
 cè deducebant, inter fremitum, &  
 ludibria, & aliquando lapides hære-  
 torum. Hi sparsi per pagos, men-  
 tes excolebant agrestium. Idem va-  
 rio genere ministerii, Divinæ rei inser-  
 viebant, & multis in rebus Parochio-  
 rum locum implebant, constantes,  
 navi, testimonium Christi non eru-  
 bescentes. Talis quoque spes è Semi-  
 nario Pontificio, & Regio, talis efful-  
 gebat indeoles: donec pulsâ Claudio-  
 poli Societate, penitus extingvere-  
 tur; agebatur quidem de eo Lubli-  
 num, aut Varsaviam transferendo, in  
 quo Transsilvani & Moldavi recipie-  
 rentur, hac enim re laboranti Mol-  
 daviæ absque nova impensa videba-  
 tur posse succurri; Verum, ut Pon-  
 tifex aliâ potius, quam hujusmodi  
 Seminariorum viâ succurrendum Ec-  
 clesiæ indicabat; statimque, ut no-

stri Claudiopoli discessere , consuetas  
Seminario pensiones intermisit , con-  
silium non processit.

## CAPUT III.

### *Societatis pro salute A- nimarum labores.*

**S**i quisque Vir probus non se sibi  
duntaxat, sed publicæ rei natum  
arbitratur ; multò id verius prædica-  
re de Societate nostra licet , quæ hoc  
profitetur , ut mortalium omnium ,  
quoad potest , felicitati consulat. Et  
quamvis animarum saluti , ac perfe-  
ctioni suos labores devoveat , ac ultrò  
inemptos offerat , non deslitère tamen  
etiam ipsæ Civitates , ac Provinciæ  
multa prece à Campano Provinciali  
quempiam de Societate postulare , qua-  
rum Legati , rhedâ etiam ad dedu-  
cendos Patres adductâ , undique con-  
veniebant. Primi fuere Somlienses ,  
qui-

quibus, ut ex itinere spes facta erat,  
 Sacerdos concessus. Deinde Vásárhelyienses, quorum Legatus preces  
 multis lachrymis miscuit. successere  
 Varadinenses, quibus hæc ad verbum  
 oratio fuit. *Pater, rogant universi  
 Cives Varadinenses, velis ipsorum mi-  
 sereri: Sumus enim tot oves circum-  
 data lupsis, destituta Pastore. Con-  
 cesserat nobis Dominus unum Pastorem  
 is erat P. Georgius, sed nostra peccata  
 fecerunt, ut Dominus ulcisceretur im-  
 capite, quod membra peccarunt. Alè-  
 bi, Pater, messis quidem multa, ope-  
 rarii pauci: Nos vero messem habemus  
 multam, operarios vero non paucos,  
 sed ne unum quidem habemus.* Georgius de quo loquebantur, erat is,  
 quem Possevinus ad eos cum Martino Valorra miserat, qui dum strenue  
 Sacerdotis obit partes, gravi intercep-  
 tus morbo, ex omnium stuporener-  
 vorum, jacebat inutilis. Postea ac-  
 cessere Siculi: ex alio quoque ejus

tractūs loco venerunt quidam primarii Domini , Lazari dicti , cum triginta Nobilium comitatu , qui ter , quatérve convento Provinciali , haud precibus abstitēre . Deinde Valachi duos misere Nobiles , per quos nunciabant : unicum sibi Sacerdotem fuisse in finibus Moldaviæ , & eum deprehensum impostorem , nec initiatū : itaque unus saltem de Societate in amplissimum illum , ac Turcis finitimum tractum , ut mitteretur orabant . Denique Temesvario , ex ipsa ditione Turcarum , octo dierum itinere adfuit Ragusæus Nobilis , apud quem Superiore anno P. Bartholomæus Sfondratus piè decesserat . Is denunciabat : posse Societatem liberrimè illuc ire , & Christianos earum regionum excolare : neque Bassam Turcarum Præsidem impedimento , sed potius patrocinio fore ; quippe qui & Sfondratum in suam tutelam receperat . Hæc

studia

studia populorum , tótque animaram  
auditæ , cognitæque calamitares com-  
movebant viscera Provincialis: & quia  
aliter non poterat , confolans singulos  
bona spe , ingemiscebatur corde , & cla-  
mabat ad DEUM , ut mitteret opera-  
rios in messem suam : Varadinensibus ,  
quoniam cæpta jam sedes ibi à Geor-  
gio erat , datus est Stephanus Arator  
cum Laurentio laico , apud quos qua-  
triennio versatus , magnos faciebat  
fructus , audiebatur ab concione fre-  
quentissima , ob templi angustias , in  
cœmeterio . Ab quindecim , & viginti  
milliaribus confluabant Christiani ex  
Turcarum Imperio causâ Sacramen-  
torum . Cives bonam partem Catho-  
lici , vel à sanctitate minimè abhor-  
rentes , pagi verò incorruptæ pietatis  
quam plurimi erant .

Ad Siculos excurrit magno operæ  
successu Valentinus Ladus , in Societa-  
tis militia propè tiro , sed virtute ani-  
mi , studiisque publici boni robustus ,

ac veteranus ; qui cùm complures  
 in Sicilia pagos in recta fide exoluisset,  
 confirmassétque , Varadinensi in agro  
 plus octoginta instituit , tanto popu-  
 lorum gaudio, tanto obsequio, ut ni-  
 hil eximiæ inducendæ sanctitati præ-  
 ter copiam cultorum deesset. Utro-  
 bique restituit sacras ædes , satores  
 impietatis expulit , plurimorum con-  
 fessiones exceptit , salutari lavacro con-  
 signavit infantes ; ad sanctæ Ecclesiæ  
 gremiū permultos revocavit : cùm &  
 ægris divina præberet mysteria , & vi-  
 tâ functis post suprema officia terram  
 injiceret ; tantusque erat Catholicæ  
 fidei in populis ardor , tantum ejus  
 retinendæ studium , ut certi pagi , à  
 Claudiopolitano Senatu missis eò le-  
 gatis hæreticis interrogati , utrum  
 priscæ , an novæ Religionis vellent  
 magistros ? Catholicos se unos velle  
 dixerint , & hæreticos ejecerint ; eōq;  
 magis excitati exemplō pagi Siculoru  
 ad sexcentos , rursum ab Societate

Catholicos flagitare institerunt magistros, ad quos Ladus, itemq; Tomanius, procurrebant; & in transcurso, pietatis fructus supra spem, atque operam referebant. Plurimum etiam profuit eisdem Lelesii authoritas, & conjuncta cum singulari modestia constantia. Audebat ille (quod necesse erat inter omnia haeretica) murum se opponere pro domo DEI, efficiebaturque, ut nec pueri Principis imbecillitas, nec paucitas Catholicorum contemptui esset. Itaque in Sicilia cum dudum carerent Pastore Catholic, coacti sua sponte velut in Synodū, communi consilio se Lelesii potestati tradiderant, nec secus inde (quanquam potestatem Pater abnuerat) quam si recepisset, nutum ejus observabant, magno utique suo bono; insinuantes enim se errorum ministros, monito ejus exterminabant.

Non dispere fructu Marcus Sisciensis, Aratotis successor, oram Turcæ

subjectam excolebat. Gyula primum  
 est à Varadino, Turcarum oppidum.  
 Hinc ad Patres Varadinum legati ve-  
 nere, Christianorum ibi residiuorum  
 nomine, Sacerdotem Catholicum o-  
 mnibus precibus postulantes. Cúm-  
 que responsum accepissent, sine vo-  
 luntate Turcæ Præfecti suscipiendum  
 iter non videri, paucis diebus cum li-  
 teris ab eo publicæ fidei redierunt. Tū  
 Marcus, qui dōmīcilio præerat, nec  
 deserenda tanta studia, nec periculum,  
 si quod res haberet, Sociorum alii ce-  
 dendum ratus, Gyulam ipse contendit.  
 Catholici velut lapsū ē cœlo hominem  
 excepēre. Ad Begum (ita Præfectū  
 appellant) deducunt. Is comiter pau-  
 ca percunctatus, totâ suâ ditione se-  
 curum agere, quæque nostræ fidei es-  
 sent, docere jussit. Tum Pater per-  
 cursare totum tractum, sacra facere,  
 concionari, baptizare, aliisque mini-  
 strare Sacraenta. Magno gaudio  
 afficiebantur, parique admiratione,

exiguae illæ Catholicorum reliquiae,  
 sumebantque animos, & erigeban-  
 tur adversus hæreses, & veluti terra  
 ex longo sitiens, avidè, quæ jdiceban-  
 tur, auribus & animis hauriebant.  
 Accedebent & hæretici orthodoxam  
 que probantes doctrinam, se nun-  
 quam talia audisse memorabant. Ubi  
 auditum est de confessione, nam ferè  
 Juventus quid Missa, quid confessio,  
 quid sacra Communio esset, funditus  
 ignorabat (ita paulatim cultorum ino-  
 piâ, nostrâque socordiâ, vinea Chri-  
 sti sylvescit) tam alacres accurrebant,  
 ut Sacerdotem multitudine prægrava-  
 rent. Illud maximè erat acerbum,  
 quod Ariani, & Calviniani destitutum  
 Pastoribus gregem invaserant lupi,  
 tantu Franciscani de observantia, quo-  
 rum nonnulla haud procul extabant cœ-  
 nobia, per aliquos excursus fecerant,  
 ne penitus Religio sancta, iis locis  
 extingveretur. Plerique è populo,  
 rectos, uti à majoribus acceperant,

ritus tenebant , quos internoscere à falsis , jejuniorum maximè solebant usu. In eo tractu , qui inter Christum , & Marusium amnes interjacet , civitas erat præcipua , nomine Macho-  
 um ( Makó ) ubi duo erant Parochi , al-  
 ter Calvinista , alter Arianus , ( : nam Catholicus sexdecim milliarium hunga-  
 ricorum spatio nullus inventus est : ) qui frequenter inter se de suis falsis dog-  
 matibus in eodem templo decertabant . Quarta pars oppidi erat Catholica . Hi insperatō Patris adventu exhilarati , serìò agitare cæperunt de Societate eò accersenda , & excitanda schola Ca-  
 tholica , cùm eō tempore solùm do-  
 cerent hæretici , à quibus pueri non tam literis , quàm veneno impietatis imbue-  
 bantur . Nullus erat metus à Turcis , quin potiùs hortabantur ipsimet Ca-  
 tholicos , ut Sacerdotes sibi Religionis suæ curarent , nempe : ne sedem , Sa-  
 crorum causâ mutantes , Machoi so-  
 litudinem facerent . Itaque Marcus

non plenus modo fructuum, ex ea peregrinatione domum, sed etiam maximè animatus ad eòdem sæpiùs recurrentem, & stationem Societatis Machoi curandam revertit. Ergo aperiebantur albæ undique regiones ad messem, cùm exorta pestilentia, & labores & pericula, & scilicet animos fidelibus DEI servis multiplicavit,

### §. I.

*Transsilvania peste vexatur, 24.  
ex nostris extinguntur.*

**E**A an. 1585. Varadini coorta, cùm año insequente recruduisset, post summam annonæ inopiam, ex qua multi mortales ceciderant, Albam Julianam, dein Claudiopolim corripuit; inque communi hominum strage, eò Societatis domicilia dirius evastavit, quo minus, ut succurrerent aliorum animis, memores illi DEI famuli suorum corporum erant. Varadini Stephano-

num Aratorem, duobus Sociis, altero Sacerdote, altero Laico nudavit, itaque relictus est solus. Albæ ex o-  
 &to, qui eam sedem incolebant, amissi  
 quatuor. At Claudiopoli ex triginta  
 planè desiderati viginti, omnes præ-  
 ter duos lue confecti. Frequentavit  
 funera insignis inter se, & erga proxi-  
 mos Sociorum caritas, dum alii aliis  
 sine ullo metu discriminis, omni ope,  
 & cura in omnes, & animorum, &  
 corporum utilitates adsunt. Damnum  
 præcipue factum in tribus, Ferdinando  
 Capecio Collegii Rector, Joanne Ar-  
 dulfo, & Hieronymo Fanfonio Sacer-  
 dotibus. Rector magna erat in op-  
 niōne sanctitatis domi, forisque, ma-  
 gnoque animo restitutionem fidei su-  
 sceperat, urgebātq; in Transsilvania,  
 sitiens laborum, studio animarum to-  
 tus ardens, mitis idem, & nesciens de  
 quoquam nisi bene mereri. Joannes  
 Ardulfus in Collegio germanico Ro-  
 mæ educatus, inde cum Possevino in  
 Sve-

Sveciam missus , tum in Societatem  
 receptus , posito Bransbergæ tirocinio ,  
 ad prima Societatis fundamenta in  
 Transsilváia Jacobum Wiecum sequu-  
 tus , in Gymnasio quidquid opus fo-  
 ret græcè , latinè , ex disciplinis seu  
 vulgaribus , sive abditiōribus , unus  
 multorum instar tradiderat . Jámque  
 post res constitutas in conscientiæ  
 quæstionibus , & explicatione Theo-  
 logiæ plurimum versabatur . Domi  
 idem tironibus præerat , & templo ,  
 summæ vir humilitatis , & pietatis ,  
 sempérque in se se collectus . Pridie  
 Kalendas sextiles Ardulfus in Abbatia  
 Monostor , quò pars Collegii pestis  
 causâ secesserat , eodem die Claudio-  
 poli Capecius extinctus est . Fanfo-  
 nius duodevigimo post die emigravit .  
 Hujus in ore , ac moribus angelica  
 semper quædam svavitas , & amabi-  
 litas eminebat ; Præfectus erat Sodali-  
 tati Beatæ Virginis , item Gymnasio ,  
 item domui pauperum , & domestico  
 vale-

valetudinario, quam unam quæstuo-  
sissimam habuit præfecturam; cùm  
admirabili constantia, hac suprema ca-  
lamitate, adesset idem ægris, idem  
mortuos sepeliret. Professor primò  
Rheticæ, & Dialecticæ fuerat, jam  
erat Philosophia: idem semper, nun-  
quam perturbatus, nunquam non se-  
reno, ac modestissimo vultu. Tan-  
ta strages edita mensis fere unius spa-  
tio, perlataque in Poloniam, non Pro-  
vincialem modo, sed etiam Stephano-  
num Regem gravi dolore affecit: qui  
sæpius illachrymatus dicitur, nomi-  
natim Capecio, quem in Lelesii assi-  
duè decumbentis locum institutorem  
Sigismundo Principi destinabat. Ad-  
jecta tamen ad remedium cura, exiguae  
illas Transsilvaniæ reliquias amantissi-  
mis literis consolatus, ad Claudium  
Generalem diligenter scripsit, supple-  
mentū postulans, ante omnia Rectorem  
Capecio similem. Haud minori, seu  
olore, seu cura succurrenti, nuncium  
cla-

cladis accepit Generalis, qui cùm ea tē-  
 pestate Neapolī, quò ad confirmandas  
 vires excurserat, versaretur, solatio  
 habuit Sociorum Neapolitanorum ar-  
 dorem, dum se se catervatim ad suc-  
 currendum per omnia discrimina ob-  
 tulere. Et sanè judicia DEI abvyssus  
 multa. Maximi progressūs erant po-  
 sita fundamenta. Florebat Claudio-  
 poli Societatis Collegium domesticā  
 disciplinā, florebat Gymnasium ( in  
 quo anno superiore & Philosophia, &  
 aliquid Theologiæ tradi cepit ) flo-  
 rebat, & Seminarium Pontificium,  
 & Regium, & contubernium ado-  
 lescentium pauperum. Surgebat  
 prosperè Collegium Albæ Juliæ ,  
 quod tum maximè perficere, & lucu-  
 lentis munire vēstigalibus Stephanus  
 Rex moliebatur : Non minor Vara-  
 dini spes, ubi cives de condendo Col-  
 legio cum Rege, & cum Generali  
 Præposito perstudiosè egere per lite-  
 ras, jāmque Societati sacram ædem ,

ac redditus consulto Rege tradiderant,  
 jam & scholæ florebant. Multi ex  
 præcipua Nobilitate adolescentes, mox  
 Catholicæ fidei firma futuri columina,  
 unà cum Principe Sigismundo educa-  
 bantur Religiosè , ac piè : cùm adeo  
 secundum rerum cursum, unius occa-  
 sus repente debilitavit , dum is, in  
 quo secundum DEUM repositum le-  
 vamentum , atque remedium erat,  
 non Sarmatia modo, & Pannonia , sed  
 toto Christiano orbe ingemiscente  
 Stephanus Rex decessit.

## §. II.

*Stephanus Rex Poloniæ moritur, Col-  
 legia Transsilvaniæ Sigismundo  
 testamento comendat.*

Piè, ac religiose, ut vixit decessit ,  
 Grodnæ anno ætatis quinto , &  
 quinquagesimo recens inito , Divi-  
 nam subinde implorans misericordi-  
 am ; & propagandi augendique Di-  
 vini cultūs , quem toto Princi-  
 patu

patu d̄iligentissimè procuraverat, man-  
data supremis verbis inculcans ; quæ  
res magnum de ejus salute speran-  
di adstantibus argumentū reliquerunt:  
ut cumque supremæ confessionis optimo  
Regi copia defuit ; cùm mentio-  
nem ejus illatam principio morbi non-  
dum pro periculo agniti , adulatio  
Aulicorū, ut intempestivam rejecisset :  
febris verò inde adeo repente inva-  
luisset , ut quinto die mortem repræ-  
sentaret inopinatissimam curantibus.  
Duo reliquit testamenta , alterum jam  
pridem conditum , alterum ipsius ma-  
nu hoc supremo tempore inchoatum ,  
quod deficientibus , ut vero simile est  
viribus , non perfecit. In eo post a-  
lia multa , orationem ad Sigismundum  
revocans , verba hæc addidit. *Ad te*  
*redeo , carissime Nepos , Princeps Tran-*  
*silvaniae Sigismunde Batori , tibi im-*  
*primis Collegium Claudiopolitanum , &*  
*Albense lego , & committo : que Colle-*  
*gia Pater tuus , & ego fundavimus*  
pro-

propriis ex facultatibus nostris sine  
 cuiusquam injuria. Quæ ita rueris,  
 & defendas, quatenus anima tua, pa-  
 triæq; cui præsalus, tibi cara est.  
 Non deerunt puto Ariani, atque im-  
 primis Colosvarienses, qui ea eversa ve-  
 lint, favebunt iis Senatores tui o-  
 mnes, aut Calvinista, aut Lutherani,  
 nec deerunt opportunitati juvenes, aut  
 Aulici pariter heretici, qui tibi adulan-  
 tes, procaciter in eos inuehentur, animū  
 tuum in transuersum rapient. Sed  
 si vires, facile omnibus simul resistes  
 sola constantia, & fervore, zelōq; pre-  
 tatis magis, magisque piis homi-  
 nibus contestata. O, utinam potuissem,  
 vel in hoc solum mea in te pietati sa-  
 tisfacere, ut si non omnes, saltem pau-  
 cos tibi intimos Consiliarios, & cubicu-  
 larios Catholicos, & pios dare potuiss-  
 sem; tibi ornamento, mihi securi-  
 tati fuissent. Sed ea ibi est tempo-  
 ris, & morum perversitas, ut o-  
 mnes declinaverint, variisque hereti-  
     bus

bus imbuti, Atheisnum plerique spirent.  
 Quò difficilior igitur tibi restat concer-  
 tatio, eò majus tibi primum, & laus  
 sempiterna. Triduo ant Stephanum  
 Regina Anna decesserat: & ipsa ubi-  
 cunque usus ferret, de publica pietate,  
 nostróque ordine optimè merita,  
 nuperriméque de tirocinio Craco-  
 viensi.

### §. III.

*Auxiliares Socii in Transsilvaniam  
 mittuntur, Claudii Generalis  
 ad eos mandata.*

**An. C. MDLXXXVII.**

Soc. XLVIII.

**Q**uos Religiosissimus Rex Stephanus  
 anno Superiori subsidiarios So-  
 cios in Transsilvaniam mitti postula-  
 vit, ii post obitum ejus, hoc anno  
 res afflitas Religionis recreaturi, eò  
 pervenerunt. Misit ex Polonia Pro-  
 vincialis Campanus ipso statim anni  
 exor-

exordio Jacobum Vangrovitum cum  
quatuor Sociis, quem olim Stephanus  
Rex, cùm quereretur in Principis Si-  
gismundi institutione Joanni Lelesio  
ex morbo jam planè inutili successor,  
nominatim probārat. Itaque & in  
hanc curam succedere, & domum Al-  
banam administrare iussus est, & cæ-  
teris per Transsilvaniam Sociis Propro-  
vincialis cum potestate præesse. Per-  
venit deinde opportunum supplemen-  
tum, ex Romana, Neapolitanâque  
Provincia, atque ex Hispania Socio-  
rum. Itaque magnifica repetendis  
studiis apparabantur initia. Sed gra-  
vis cura suberat, quod cùm cecidis-  
set rerum columnen Stephanus Batorius  
Rex, ipsosque Socios pestifera lues  
adeo evastâset, rebantur hæretici ob-  
latum sibi tempus, quidquid residuum  
Jesuitarum foret, penitus excidendi :  
nec obscurè minitabantur, cùm pri-  
mùm Generalis haberetur conventus,  
qui in autumnum hujus anni dictus  
erat,

erat , omnes ad unum extra Regni fines amotum iri. Quo impendente turbine consultus Claudius Generalis , si quid utique tale decerneretur , ut Regno egredi juberentur , quid consilii capiendum foret , ita respondit : primū omnium conniterentur , ut suum Societati jus integrum conservaretur. Nam ab Stephano Rege , ab Vajvoda Christophoro admissam , ab iisdem , facultatibus justè donatam , quare non posse sine summa injuria violari : nec ea , quæ Principes isti justa potestate usi decreverint , rescindi fas esse. Non id Sigismundo ferdum , ut tanta Patri , ac Patruo ignominia inferretur : non ipsi populo admittendum exemplum , acta Principū , ubi vitâ excesserint , irrita faciendi. Quod si his , & talibus connixi rationibus jus obtinere integrum nequirent , darent operam , ut aliqua tolerabili conditione accepta , modo Gymnasiū , & prædicatio Catholica salva  
 C eset ,

esset, permanerent : si ne id quidem  
 daretur, atque non solum urbibus, sed  
 etiam pagis suis excluderentur, tum  
 demum DEO freti animum induce-  
 rent cœptum opus, & pusillum illum  
 gregem jam Christo quæsitum, non  
 planè deserere : remissis in Poloniam,  
 quos videretur, Vangrovitius, ac ce-  
 teri divisi, secretique, ut fiebat in  
 Anglia, Scottiâque, subsisterent, pa-  
 rati, si ita ferret occasio vel nobile  
 martyrium facere. Hujus sententiæ  
 ipsum quoque DEI Vicarium esse ;  
 quanquam meliora se sperare diceret,  
 Mirum quantum hæ literæ voluptatis,  
 & animorum addidere Sociis Transfil-  
 vanis, quantam vulgata res in aliis  
 Provinciis eò pervolandì cupiditatem  
 inflammavit. Tum videbatur ostend-  
 di pretium Pannonicas adeundi nives,  
 & notas, carasque terras derelin-  
 quendi. Ostensa enim gloria per-  
 cula quantum ignavos absterrent, tan-  
 tum fortis alliciunt. Ita præparatis,  
 simul

simul Conventus, simul studia repetendi tempus advolvitur. Conventum gens nequaquam habuit Generalem, quod ex Sicilia, ubi pestilentia grassabatur, conveniri non potuit. Tamen ante omnia claimare Christi hostes, & omnem movere lapidem, omnes machinas admoveare, ut idololatria ( sic enim Catholicam fidem appellant ) è Regno tollatur, nec aliud quicquam agendū in Conventu, priusquam de Religione statuatur. Regni totius nomine supplicant Sigismundo, ut idololatriæ authores Jesuitas exturbet. Restitit constanti animo Sigismundus, ejusque nomine Senatus quiescere eos jussit, rursus illi tumultuari ac fremere, & conditionem eam ferre, ut quando ipse institutorem de Societate vellet, unum quempiam ex ea pro arbitratu haberet. Ceteris autem, nec scholas, nec templum permitteret. Verum ne id quidem potuerunt exprimere. Atque ipse Senatus

contrà ita pugnavit , ut Societati o-  
mnino tacere licuerit. Nam quan-  
quam , & Gubernator , & Senatus  
cunctus erat Calvinianus , & plerique  
eorum optabant Societatem abesse ,  
ac Principem suarum partium fieri , ta-  
men multa , præcipueque Stephani  
Regis , & Christophori Principis vo-  
luntas etiam testamento expressa , &  
utilitas literariæ institutionis , additâ  
que inde Pannoniæ dignitas , faciebat ,  
ut eam vel inviti defenserent. Ad  
hæc verebantur , ne rationibus Sigis-  
mundi officerent , rebus Polonicis haud  
dum stabilitis , quò suos ipse quoque  
petitores imperii miserat : illud simul  
timentes , ne cùm Societatis homi-  
nes Priafeps , magni faceret , unicéq;  
amaret , iis remotis non inveniretur  
iustitor idoneus , qui illum in offi-  
cio contineret. Interim haud cessa-  
batur à Sociis. Novembris ortu , post  
quadraginta horarum supplicationem ,  
multasque alias ad opem DEI conci-  
lian-

liandam preces , & corporis vexatio-  
 nes , studiorum instauratio facta est  
 Claudiopoli festo eruditóque cum ap-  
 paratu , quem Sigismundus Princeps  
 sua cumulavit præsentia , nam ora-  
 tionibus , & carminibus , quæ in Col-  
 legio , in Seminario , in Sodalitio Bea-  
 tæ Virginis habita sunt , ac Dramati ,  
 quod de primo Ungarorum Rege san-  
 to Stephano datum est , itemque con-  
 certationibus Philosophicis , Rhetori-  
 cisque multa benignitate interfuit .  
 Paratæ erant , & Theologicæ concer-  
 tationes , ut inter Arianos , de Christi  
 Divinitate : sed Gubernatore metuen-  
 te , ne pro materia tumultus accipe-  
 rentur , satius visum est iis supersedere .  
 Valuit literarū id specimē ad comovē-  
 dos ipsos quoque Adversarios , ut fi-  
 lios haud pauci suos in disciplinam Pa-  
 tribus darent . Porro Sigismundus cū  
 ætatis accessu ad omnem proficiebat  
 virtutem , qui suum studium erga So-  
 ciatem , & Catholicam fidem , egre-

giis literis , per quas de supplemento  
Sociorum missio Patri Generali gratias  
agit, ostendit. Quam præclaram vo-  
luntatem suis quoque datis ad eum li-  
teris Sixtus Pontifex confirmavit, ante  
omnia monitum, ne quo unquam tem-  
pore Societatem amandari impiorum  
conatibus fineret. Sed & novissima  
Stephani Regis oratio , animo ejus  
identidem recursans, novos addebat  
stimulos, qui hosce motus quasi præ-  
videns , præter alia hortamenta in  
ipso , quod postremum edidit testa-  
mento, uti supra narratum est , his  
orationem ad Sigismundum verbis cō-  
vertit : Ad te redeo, carissime Nepos,  
Princeps Transsilvaniæ Sigismunde Ba.  
tori , tibique imprimis Collegiū Clau-  
diopolitanum, & Albense lego , & com-  
mitto, quæ ita tuearis, ac defendas,  
quatenus animæ tuæ, Patriæque, cui  
præes, salus tibi cara est. Itaque u-  
bique res Societatis in pristino statu,  
& alicubi cum incremento consiste-  
bant,

bant , jámque idoneus succrescebat  
 numerus operarum , & lecta in So-  
 cietatem soboles transibat ( nam no-  
 vem anno ab obitu Stephani altero ,  
 recepti tiroues egregii , quoru pars  
 Romam missi ) cùm lætas adeo pro-  
 gressiones , satanas , ejusque satellites  
 ferre diutius nequivere , ergo ad per-  
 denda omnia , sumo impetu , neque  
 eō irritō , conjurārunt , quod nunc  
 membratim dicere aggredimur ,

## CAPUT IV.

*Societas JESU ex Trans-*  
*silvania ejicitur , ejus ejiciendæ*  
*causæ cum suis adjunctis ge-*  
*nuiñè exponuntur.*

An. C. MDLXXXVIII.

Soc. XLIX.

**E**st hoc Societatis nostræ quasi fa-  
 tum , ut illi ubique contradicatur

Act. 21. sed eam consolatur præclara  
 vox principis Apostolorum: si expro-  
 bamini in nomine Christi beati eritis.  
 1. Pet. 4. Igitur, ut præviderat Ste-  
 phanus Rex, machinas omnes hære-  
 tici admovere Proceres, ut ad suas par-  
 tes Sigismundum pertraherent, & o-  
 mnem Transsilvaniam Societatis nu-  
 darent præsidio. Nullum faciebat  
 unquam Demetrius Arianus superin-  
 tendens finem Claudiopoli vociferan-  
 di, idolatriam magno labore è Re-  
 gno propè exactam; jam non paula-  
 tim, sed acervatim magno successu  
 regeri: maturandū antequam serpat  
 longius; & radices propaget altius.  
 Collegium illud Claudiopolitanum, illa  
 Seminaria, & contubernia, idoloma-  
 niæ cubilia esse. Per literarum no-  
 men circumveniri juventutem, Papi-  
 stica dogmata, Papæ tyrannidem in-  
 vehi. Hæc aliisque atrociora assidue  
 privatim, publicè, magnæ, ac mi-  
 nutæ Nobilitati occidens in Conven-  
 tus

tus publici tempus præseminabat invidiam, odia irritabat: haud dissimilia Calvinianis quoque declamantibus. Majo interim ineunte provincialis Enyedini habetur Conventus; & Demetrii vocibus instincta Nobilitas, contendit à Principe, ut antè omnia de Religione agatur: dudum id prætermissum negotium, quod semper æquum sit aliis præverti, difficilius fieri in dies; sinat tandem conscientiæ quemque suæ consulere. Nihil cùm impetrarent, id urgere perrexerunt, ut ea res ne ultra Conventum proximum differetur. Ita Conventū dimisso, magnus omnibus bonis meritò timor incessit. Nam causa Religionis alia non erat, quam de Societate pellenda. Deinde in proximo Generali Conventū accepturus Sigismundus Regni gubernacula putabatur uti evenit: pérque eam occasionem vero simile erat adnisiros hæreticos, ut in conditiones, quas libitum ipsis

foret, adolescentem adigerent. Ad  
 hæc in Polonia Regni res confirmatæ  
 jam satis erant, ut nihil metuendum  
 esset, ne suo Principi quicquam earum  
 respectu incommodarent, si quid con-  
 tra Catholicos statuissent. Adece-  
 rant etiam oculos in bona Societati  
 attributa. Denique eò ætatis, ac do-  
 trinæ venerat Sigismundus, ut puta-  
 rent hominum Religiosorum operâ fa-  
 cile posse, fottasse etiam velle carere.  
 Quin potius ipsuñet, quod olim in  
 Joanne Regulo fecerant, ad suas par-  
 tes haud ægrè pellectum iri, si homi-  
 nis cujuspiam famosi disciplina, aut  
 certe consuetudine illigarent. Hac  
 spe Joannes Getzius Regni Guberna-  
 tor, Joannes Gálfius Marscalcus, &  
 Wolfgangus Kovácsoczius Cancel-  
 larius Principem consensu adoriuntur,  
 atque ubi magnis laudibus onera vêre  
 Michaëlem Brutum hæreticum, &  
 Apostatam, vehementer hortari insi-  
 stunt, ut hominem in gratiam suam  
 reci-

recipiat, & Antiquorum res gestas interdum ex eo, tanquam ex fonte hau-  
 fiat, dignum esse cuius eloquentiam,  
 & eruditionem degustet, nec ullum  
 Bruto cum Patribus Societatis fore dis-  
 sidium. Quibus respondit; nec ad-  
 huc defuisse sibi, nec in præsenti de-  
 esse fontes, unde rerum varietatem,  
 solidamque doctrinam sine hæresum  
 face hauriret. Atque ut ea res Patres  
 nihil tangeret, tamen sibi decorum  
 non esse, hominem hæreticum, ejus  
 præsertim scientiæ causâ, quam ipse,  
 vel abunde nôsset, vel non tanti face-  
 ret, in gratiam accipere: studiis, cu-  
 fisque gravioribus malle tempus im-  
 pendere. Ita cùm homines rejec-  
 set, totum certamen suo mox Magi-  
 stro per epistolam declaravit, hac ap-  
 positâ clausulâ: *Fam facile poteris  
 conjicere, qui simus futuri in Religio-  
 ne Catholica defendenda, & propagan-  
 da, cum tam fortiter, & constanter,  
 licent nobis aliquid, mi Pater, de  
 nobis*

nobis prædicare ) restiterimus eorum co-  
 matibus. Optime vale. Alba Julia un-  
 decima Julii. Nec tamen destitêre  
 Consiliarii fallaces eniti, ut Brutus sal-  
 tem nomine absolvendæ Ungaricæ hi-  
 storizæ acciretur. Sed in eo quoque  
 in præsentia frustra fuere. Rebus adeo  
 turbidis, quò gravius impendebat di-  
 scrimen, hoc impensius, & in Trans-  
 silvania, & in ceteris Provinciis, re  
 Generali Præposito nunciata, placan-  
 do DEO insudatum est, cui tamen vi-  
 sum est servos suos exilio honestare,  
 quod eis uxor Cancellarii, imane quâ-  
 tum maturavit. Erant Cancellario  
 impubes duo filii, quos de industria  
 solebat mater in ædem sacram immitte-  
 re, ut concionanti Stephano Aratori  
 obstreperent. Obsequebantur egre-  
 giè loquaculi pueri; ac discursantes,  
 & nunc ad hos, nunc ad illos itantes  
 Nobilium, blanda garrulitate pleros-  
 que, interdum ipsu[m]et Principem a-  
 vocabant. Quam injuriam domûs,

Ver-

Verbiq[ue] DEI, & jacturam sacræ se-  
mentis cùm ægrè ferret Arator, post  
aliquantum patientiæ erupit; pròque  
concione famulis, qui pueros intro-  
ducebant mandat, continuò educant  
è templo, neque id temporis amplius  
introducant: qui cum paruissent, ma-  
ter fœmina impotens indoluisse ita  
dicitur, ut cùm postea ad Medgyesien-  
sia prefecturus esset comitia Cancella-  
rius, advoluta genibus institerit obse-  
crale, illatam ut communibus liberis  
contumeliam ultum iret.

Interim rursus Enyedini ineunte No-  
vembri Provincialis habetur Conven-  
tus, multis diebus à Calvinianis, &  
Arianis acriter declamatum, ut tan-  
dem Religionis causa tractaretur, &  
Societas, ut idololatriæ Seminarium  
exturbaretur è Regno. Latherani  
fuere modestiores; quin apertè signi-  
ficarunt, nullo jure posse Societatem  
pelli: séque si mutandum quid esset,  
ad Catholicos antè omnes ritus tran-

situros. Haud indormiendum causæ rati Patres, adfuere Enyedini Provincialis, & Claudiopolitanus Rector, Emmanuel Vega, & Arator ; qui ubi videre adeo pertinaces adversariorum conatus, postulatis criminibus , quæ objectabantur, ut respondere de more possent , cum ea nulla darentur , pri die nonas Novembris hunc in modū coram Proceribus è scripto, quod dein de etiam tradidere, alloquuti sunt Sigismundum.

### §. I.

#### *Oratio PP. Societatis ad Principem in Comitiis Transsilvaniæ.*

**E**A Princeps Illustrissime , vitæ quam nos profitemur conditio est, ut nō multum nostrâ intersit ubi terrarum simus, cùm perinde Patriam ubique , & nusquam habeamus. Si Transsilvaniâ ejicimur, paratæ sunt cùm alibi, tum in Polonia sedes, & in ipsa nunc Hungaria amplum adornatur Collegium,

gium, ubi cum animorū comodo fortassis majore, certè nostro minore cū periculo, operam DEO, publicæque rei pro nostra tenuitate navemus. Itaque potes certum habere, si de remansione hic nostra contendamus, nō quæri à nobis, quæ nostra sunt, sed quæ Christi JESU, quæ ad salutem, decus, emolummentum Celsitudinis tuæ, & Regni hujus maximè faciunt. Ad hæc constantia postulat, ut rectè cæpta non deserantur: & Christus Dominus cum vetuit transire Apostolos de domo in domū, multò magis ostendit non leviter migrandū ē Regno in Regnum. Has ob res nisi Præpositi nostri revocemur mandato, vel alio iusto compellamur imperio, deliberatū, ac fixum habemus, stationem hanc nullo modo deserere. Quod enim potest, vel simulacrum juris obtendi cur solum mutare cogamur? aut cur donata nobis bona eripiantur? Anno 1579. Parens tuus Vir clarissim⁹ Christopho-

stophorus Princeps ad se se nos evoca-  
 vit: & Patruus tuus maximus, ac for-  
 tissimus Poloniæ Rex Stephanus misit.  
 Anno inde 1581. ab universo Regno  
 in Generali Conventu recepti sumus, ac  
 possessionem Monostori, & adjunctoru-  
 pagorum, monasteriique, & scholaru-  
 Claudiopoli , nullo prorsus adversan-  
 te, inivimus. Hæc adeo certo jure  
 accepta , tamdiuque pacatè possessa,  
 nisi quid à nobis tam atroci dignum  
 pœna comissum ostendatur , sine bar-  
 barica injuria auferri non possunt. At  
 crimen ne inimici quidem certum ul-  
 lum proferunt , nec , DEO gratia ,  
 subest : nam Religio objectari non po-  
 test, pro Catholicis enim inde ab ini-  
 tio admissi sumus. Atqui si se Ætæ aliae  
 tam multæ , licet deterrimæ toleran-  
 tur in Regno, an æquum est non ha-  
 bere ibi locum Religionem Catholicam  
 superioribus omnibus Comitiis appro-  
 batam , quam totis iexcentis annis jam  
 inde à sancto Stephano Rege primo

Hungari cum reliquo orbe Christiano  
 amplexi constantissimè coluerunt ?  
 quòd si volunt in Transsilvania æquam  
 cuique Religionis libertatem esse, cur  
 eam Catholicis denegent, quæ ne in-  
 ter Turcas quidem eripitur ? si cuivis  
 nobilium licitum est suæ Religionis ad-  
 ministros habere, quid est causæ cur  
 idem tibi nolint licere ? qui sua tan-  
 topere conservata volunt jura, cur tua  
 tibi erectum eunt ? Res certè hic, o-  
 ptime Princeps, verbo nostra, re tua  
 agitur. Nihil dico de Præceptoribus,  
 & Concionatoribus tuis, quibus secū-  
 dum Parentes, vel etiam ante Paren-  
 tes deberi sapientes monent, quām  
 tuæ æquitatis, & clementiæ sit, eos  
 procul ab injuria conservare, cū con-  
 servare omnes debeas : tuum est Pa-  
 tris, Patruique tui clarissimorum Vi-  
 rorum, & sapientissimorum dignita-  
 tem, placita, acta, defendere. Cū  
 igitur p' anè compertum habeas, quām  
 istis cordi fuerit ordinis hujus in Trans-  
 silva-

silvania collocatio , quanta volunta-  
 te , atque constantia aluerint eum sem-  
 per , protexerint , exornârint : quale  
 denique supremis mandatis de eo ju-  
 dicium Rex fecerit , quâmq; te ulti-  
 mis verbis obtestatus sit , debes pro-  
 fecto , Illustrissime Princeps , nullo mo-  
 do permettere , ut tam constans eo-  
 rum voluntas pro vana , ac fatua , con-  
 temptui , ac ludibrio sit . Quid ? il-  
 ludne placet introducere exemplum ,  
 ut quæ ab uno Principe constituta sūt ,  
 ea vixdum illo è conspectu sublato ir-  
 rita fiant ? detur hæc licentia , tanta  
 præsertim in re , tamque firma , atq;  
 fundata , nihil profecto reliquum fiet  
 stabile : nutabunt omnia , & convel-  
 lentur , & corruent . Violentur no-  
 stra privilegia tam rata , & solida , e-  
 quidem miror , qui hoc urgent , non  
 videre , quam sibi ipsi foveam faciant .  
 Nos , DEO bene juvante , novem  
 per annos ita versati in hac patria su-  
 mus , ut læserimus neminem , prodesse  
 omni-

omnibus studuerimus. Te ipsum ab  
 ineunte ætate cùm in pietate, tum in  
 artibus honestis, pro nostra virili in-  
 stituimus : juventutem Transsilvani-  
 cam ad omnem humanitatem informa-  
 re conati sumus : Catholicorum reli-  
 quiis consolandis, ac Verbo DEI, &  
 Sacramentorum administratione pa-  
 scendis per pericula assidua, per æru-  
 mnas, ac vigilias præsto fuimus. Ve-  
 Ætigalibus, quæ nobis donâstis, non ad  
 luxum sumus abusi , sed ad juvenum  
 è vestris pauperum subsidia , & ad  
 virorum doctorum alimenta, ad tem-  
 plorum, ac scholarum ædificationem  
 contulimus. Si hæc crimina sunt,  
 inficiari non possumus talia à nobis  
 commissa. Si quid præterea Adversarii  
 machinantur, palam afferant, judicio-  
 que disceptent, tum si libet ejiciant  
 nos, ne si indicta causa pellamur, eje-  
 citi per tyrannidem dicamur. Nā quod  
 quidam nos , ceterosque Catholicos  
 idololatriæ accusant, parati sumus si-

ve concione , sive disputatione , seu  
 scripto malint , palam facere omnibus ,  
 nequaquam Idololatras nos , sed qui  
 adversas sectantur partes , eos planè  
 hæreticos , impios , & atheos esse .  
 Præterea tecum ipse , Princeps Illu-  
 strissime , pro tua sapientia reputa ,  
 quanto ornamento , fructuique ( absit  
 verbo invidia ) Societas huic Regno  
 sit . Nomen tuum , patriæque hujus  
 apud Pontificem Sumnum , & alios Eu-  
 ropæ Principes , apud Æthiopas , &  
 Indos , novumque mundum celebre  
 factum est . Noster ordo toto orbe  
 terrarum sparsus est , ut facilè per eū  
 Transsilvania cum reliquis Regnis con-  
 jungi notitia , & quadam societate  
 possit . Quis non videt , quām sensim  
 recta teneræ ætatis institutio barba-  
 riem quandam morum absterget ?  
 Quām propè sit , ut novus , seu Ju-  
 daismus , sive Ebionismus , quem ple-  
 rique omnes hujus Regni Proceres ,  
 merito oderunt , stirpitus evellatur ?

vidos

vides' præterea quanti sumptus facti  
 sunt in Academia ( qualis nunquam in  
 Regno Hungariæ fuit ) excitanda, quā-  
 ta mole ex Hispania, Italia, Germa-  
 nia, & Polonia idonei Viri ad eam in-  
 stituendam, & post acceptam ex pe-  
 ste cladem, restituendam, accersen-  
 di suere. Igitur sapientissimis Viris,  
 patriæque suæ amantissimis, Patri tuo,  
 Patruoque, ac toti Regno hæc fiet in-  
 juria, ut tot tantiq; conatus, & sumptus,  
 inanes, & cassi reddantur? Quid Semi-  
 nario fiet, quod à Rege eodem sumoq;  
 Pontifice institutū luctulētisq; instructū  
 redditibus, tantum huic Regno, & splen-  
 doris, & comodi adfert? hic tenuio-  
 res è Nobilibus, hic alii bonæ spei  
 adolescentes in omne posterum tem-  
 pus ad omnem humanitatem liberali-  
 bus disciplinis gratuitè excoluntur, qui  
 ad id tempus, vel per inopiam, ru-  
 des, ignari omnium rerum consene-  
 scabant, vel, haud sine magna, &  
 patrimonii, & morum jactura, ad ex-  
 teras

teras nationes studiorum causa mitte-  
 bantur. Hæc subsidia morum , hæc  
 ornamenta Regni , hæc domicilia sa-  
 pientiæ , quæ omnibus votis , & opibus  
 expetenda forent , si abessent , ultrè  
 donata , tantum proiecta , adeo floren-  
 tia , semper in dies proficientia dissi-  
 pabuntur ? & potest quisquam amans  
 patriæ videri velle , dum patriam sic  
 oppugnat ? considera ergo , Princeps ,  
 quæ causa , quorum agatur . Proscri-  
 ptiones , exilia , rapinas bonorum , in  
 summâ mortes Religionis causâ Chri-  
 sti famuli in lucro ponunt , nam cedit  
 iis tandem in victoriæ decus quidquid  
 Adversarii moliantur in poenam . Ve-  
 rùm Celsitudo tua , & Transsilvania  
 universa apud Christianos Principes ,  
 qui & pietatem Regis Stephani , & So-  
 ciетatem perspectam habent , ut levissi-  
 mè dicam , non benè audiet , neque  
 impietatis , inconstantiæ , crudelitatis ,  
 extremæque barbariei notam effugiet .  
 Quidquid sit , ritè coram te , & magni-  
 ficiis

ficiis Consiliariis, Regnóque universo  
contestamur, nos partibus nostris nolle  
deesse: Te ipsum nobis à Parente  
tuo sanctæ memoriae Principe Christo-  
phoro, & à Patruo Serenissimo, sèpè,  
atque etiam in supremo vitæ actu uni-  
cè commendatum, in hoc præsertim  
lubricæ ætatjs ambiguo, nullo modo  
destituere velle, ac prodere, sed qua-  
cunque possimus ope salutem, digni-  
tatémque tuam paratos esse defende-  
re. Denique stat sententia, ex Trans-  
silvania non discedere, nisi, quod no-  
stri ordinis alii in Anglia consequuti  
sunt, pro Christo, & Catholica fide  
mactemur; seu certè nisi justa ejec-  
tionis causa proferatur: ne quid per ty-  
rannidem fiat, ne & ipsi videamur te  
ad vim, & tyrannidem instituisse.

## §. II.

*Fructus ejus Orationis in  
Sigismundo.*

S Atis per se animatus erat ad defenden-  
dam,

dam, & suam, & Religionis causam  
 Sigismundus, nec parum animi hac  
 oratione acc. sſit: jurâſſe dicitur se cū  
 Societate pariter, vel occasurum, vel  
 discessurum. Id quidem scripsit ad  
 Provincialem Campanum, se Patres,  
 ac Religionem, vel cum Regni, vel  
 vitæ ſuæ jactura tegere conaturum.  
 Conterravit etiam aliquantum Adver-  
 farios in tuendo ſuo jure Patrum con-  
 ſtantia. Ceterum adeo multorum ē  
 Nobilitate mentes pertinacia obdurā-  
 rat, & quidam quasi furor impleve-  
 rat, ut tanquam Sacramento conve-  
 nerint, ſe consuetum vēſtigal Princi-  
 pi non antē ſoluturos, quām de Reli-  
 gione statueret. Cūmque ille rem in  
 proximum rejeciſſet Generalem Con-  
 ventum, pefſimo exemplo, ſe quo-  
 que ante eam diem penſuros tributum  
 negârunt. Cum hac hæreticorum  
 contumacia, & Principis fortitudine  
 disceſſum, Generalibus Comitiis in ul-  
 timam ſacri Adventūs Dominicam in-  
 dictis;

dictis; breviore solito die decreta,  
 qua majoribus nostri includerentur an-  
 gustiis, neu Cardinalis Batorius, qui  
 adventare dicebatur, ocurrere ad  
 tempus posset. Tanto instante discri-  
 mine Transsilvani Patres uno è Sociis  
 magnis itineribus missi de rei statu  
 Provincialem admonuêre, orantes, ut  
 si fieri posset, iosemet ad volaret. Tum  
 impensè ad Numen placandum adjectæ  
 curæ: omnia ubique pietate fervere.  
 Ipsi Catholici Claudiopoli, Albæ, Va-  
 radini, aliisque in oppidis, & pagis  
 nihil in se se asperitatis, nihil religiosi  
 piaculi prætermittere. Academicæ  
 Claudiopoli precationem habere per-  
 petuam, quam toto sesqui mense con-  
 tinuârunt, cùm unum diem Sodales  
 Beatæ Virginis, alterum Seminariani,  
 tertium ceteri discipuli delegissent. Ad  
 hæc sacrâ quibusque diebus habitæ  
 supplicationes ordine procedentium, &  
 præter quotidianas, privatim poenias  
 suscepas, aliquando Cislycum iis lo-

cis spectaculum ) publica verberatio adhibita : nec interim, quod poterat humanâ præcaveri diligentia , omittebatur. Præparatae sunt de vera, falsaque idolatria theses : aditi etiam Procerum quidam è longinquo , & causam edocti : nonnulli palam ex hæreticis favebant : ardebat Catholicus , maximè Stephanus , & Balthasar Batorius : adolescentium quidam fidem sibi mutuam dedere , si offerretur subeundi occasio martyrii , unâ fortiter subituros. Accessere , & commendatione à magno Poloniæ Cancellario literariorum. Provincialis seriùs admonitus est , quām ut occurreret tempestivè possit : rescripsit tamè ad Principē , laudans simul constantiam ejus , simul de animo erga Societatem gratias agens , spondensque illam erga eum studio nequam dissimili fore. Addidit ad multos Procerum literas , ratam habens contestationem à Patribus Enyedini interpositam : & adjiciens , si amplius vi-

gint

ginti Sociorum , ne ægros lue Catholicos desererent , tertio antè año mortem Claudiopoli præoptâssent , multò nunc paratiōres extrema passuros , ubi cā solum causā , quād Christum Dominum DEUM verum adorarent , & sanctos ejus colerent , de idolomania accerferentur . Porro causa eò munitor , & propè inexpugnabilis videbatur , quād cum Principe & universitate gentis Batoreæ dignitate conjuncta erat . Itaque tolerabilis exitus sperrabatur .

### §. III.

*Comitia Medgyesini celebrantur , in iis variæ criminationes in Societatem ab hæreticis jaſtantur , sed à Patribus diluuntur .*

**D**uodecimo Kalendas Januarias in oppido Saxonico , Medgyes , nomine , Generalis Conventus incipit , eo ipso die Ariani , & Calviniani Pseu-

doepiscopi in Societatem atrociter  
 inventi. Criminum capita erant usi-  
 tata illa hæreticis jam tum S. Ambrosii  
 tempore, quæ S. Antistes oratione de  
 non tradendis Basilicis his verbis com-  
 pletitur: *Semper Christi laudes, vere*  
*bera perfidorum sunt: & nunc cum*  
*laudatnr Christus, dicunt heretici,*  
*quia seditio commouetur: dicunt*  
*heretici, quia hic mors paratur, & ver-*  
*re mortem habent in laudibus Christi.*  
 Hæc, inquam in Societatem maximè  
 jactata, quòd seditionis, atq; tumultu-  
 tum causa ubique foret; quòd ido-  
 latriam, quòd Papisticum domina-  
 tum, quin etiam de Religione quæstio-  
 nes ad Hispanicum ritum invehernet.  
 Ad ea postridie in Conventum cum  
 aliquot Sociorum admissus Wiecus  
 Provincialis respondit: neque ob-  
 scurè calumnias, si apud æquos Judi-  
 ces ageretur, refellit: quam fideliter  
 Societas operam suam instituendæ ju-  
 ventuti, solandisque Catholicis pavâ-  
 rit:

rit : quām pacis ubique , tranquillitatisque , multas licet vexationes per pessa , non studiosa modō , sed & custos fuerit , satis patere omnibus . De Romano Pontifice multa invidiosè jaētati ab diversarum religionum Doctoribus , nec mirū id esse , quod aliter suos ipsi diffidant in obsequio continere posse sectatores , nisi odiis per malas artes incitandis ab Romano Antistite avertant . Porrò tantum abesse Societatem , ut quæstiones de religione ad morem Hispanum introduci molliatur , ut iis negotiis nulla in oraterrarum ubi stant ea tribunalia , quantū conniti queat , imisceri se se permittat , nec se recusare quin si cui unquam Sociorum ea de re in Transsilvania mentio excidat , fraus capitalis sit . Quod verò maximè crimen ingeneretur idolatriæ , paratos esse id quacunque ratione malleant , seu voce , seu stylo refutare ; vehementerque petere , ut hæc sibi potestas fiat : itemq;

de facultatibus, quas possideant, legitimum instituatur iudicium. Hæc & alia ubi Wiecus latine dixit, hungarice eadem Arator peregit, paulò uberiùs imoratus calumniis adversus Pontificem, & orthodoxam fidem diuendis. Quibus attentè auditis pollicetur responsum Nobilitas, sed nullum dedit. supplicem præterea libellum Catholicorum nomine obtulit Christophorus Kereszturus, Kővariensis, & Nagybanyensis Capitaneus, vir studio Catholicæ pietatis acerrimus, quod petebant, ut ex institutis Regni, maneret sua etiam Catholicæ Religioni libertas, neu Pastores animarum suarū divexari sinerent. Egressis è templo Patribus, hæretici (quanquam multum orthodoxi, & Somborius Regni Thesaurarius non Catholicus, repugnarent) mittunt libellum ad principem iterum, flagitantes, ut è Regno idolatria, & ejus propagatores Jesuitæ tollantur. Nihilo segnius, & suum Principi,

cipi, & Gubernatori misere libellum Patres, testantes innocentiam suam, obtestantes, ne per injiquissimam vim opprimi se, suaque privilegia violari, & sacrosancta Catholicæ Fidei mysteria proculcari patiantur, nec illam iniuri notam Transsilvanico nomini, ut quos paulò ante Regno volentes receperint, jam causâ indictâ exturbent. Se per novem annorum labores, insectationes, pericula in bene merendo de omni hominum genere, nîl tale comisisse, cur deteriores habendi sint, quam Ariani, quam novi Judæi, & Ebionitæ, quam Lutherani, Calviniani, Græci, Rasciani, & Vlachi, ut illis liceat pacatis in Regno vivere, sibi autem non liceat, quorum fides, & religio ab Apostolis profecta, & in Transsilvaniam per sanctissimos Reges Hungariæ introducta, usque ad hæc tempora per annos sexcentos steterit. A te verò magnifice Gubernator vehementer petimus, in-

quiunt, tēque obtestamur, ut memori  
 esse velis, & officii, & jurisjurandi,  
 & potestatis tuae. Officii, quia tibi sa-  
 lus, dignitasque, & existimatio Illu-  
 strissimi Principis commendata est, ac  
 nominatim Societatis nostrae, & Reli-  
 gionis Catholicæ defensio à Rege Ste-  
 phano credita: Jurisjurandi, quō san-  
 ctè spopondisti, te cuiusvis gradūs ho-  
 mines in suo jure, libertate, religione  
 conservaturum, nec sine legitima co-  
 gnitione quenquam impediturum, aut  
 impediri permisurum: denique potes-  
 tatis, quia tua in manu est importu-  
 nis istorum postulationibus occurtere,  
 si modò dixeris potestatem tuam cer-  
 tis limitibus definitam esse. Etenim  
 cùm tui juris non sit cuiquam ultra  
 tres, ac triginta colonos attribuere,  
 multò minus fas erit tantum nobis fa-  
 cultatum invitit eripere. Ergo te e-  
 tiā, atque etiam rogamus, uti jus  
 nobis, quemadmodum adhuc fecisti,  
 integrum tuearis. Hæc altero, & vi-  
 gesimo

gesimo Decembris die acta , magna Si-  
gismundi constantia ; qui hæreticoru-  
postulationi respondit : nec Præcepto-  
res suos , nec homines sibi à Patre , ac  
Patruo commendatos , & à Regno rece-  
ptos , indictâ causâ pelli ab se decere ,  
cùm præsertim ejus religionis essent ,  
quam ipse met sequeretur , & aliqui e-  
tiam non Catholici eos affirmarent Re-  
gno peropportunos esse , & ad suo-  
rum institutionem liberorum retineret  
postularent . Postero die libellum  
alium hæretici sumisere plenum cri-  
minacionibus invidiosis : Jesuitas ho-  
stes animarum , infectatores fidelium  
esse , authores effundendi sanguinis : de-  
niq; bona possidere contra fas Regni .  
Nam sub Regina Isabella editum in Co-  
mitiis deeretur , ne qua Ecclesiastico-  
rum bona semel ad Fiscum delata ullo  
unquam tempore Ecclesiæ redderen-  
tur . Respondere statim libello Pa-  
tres , ceterisque ut sœpè antè confu-  
tatis criminibus , quod ad bona perti-  
neret ,

neret, demonstrârunt primum, Comitia illa sub Isabella Regina non sacrilega modò fuisse, contrâque Divinū, & humanum jus, quod suum cuique reddi jubet, sed etiam nullo jure habita, quia nec Princeps, nec Petrovius, qui tutor tum erat Principis, fide[m] ea tempestate Regno jurarânt, nec Regnum illis; ita ut eo tempore cùm justo capite Regnum careret, justa condi decreta nequiverint. Deinde et si firma, ac justa, quâm quæ optimo jure fuissent, tamen anno sæculi ejusdem octogesimo primo iis abrogatum fuisse decreto Generaliū Comitiorum, cùm Societatem in Regnum, & in possessionem bonorum admiserunt. Ad hæc cùm in iis bonis rite Societas locaretur, nec Regnum, nec planè quemquam Regni nomine contra ivisse, adeò ut pacatè inita, totque annis usurpata possessio, cùm causa subinde nulla nova extitisset, nisi per mani-

manifestam injuriam attrectari non posset.

### S. IV.

*Gubernator causam inclinatam præcipitat. Responsio Patrum Societatis ad denunciationem sibi factam.*

Hæc maximè dum fervent, Getzius ille Gubernator, ad cuius maximè pertinebat fidem, acta Stephani, à quo administrationem acceperat, conservare, penes quem, & ærarium, & armati milites erant, inclinatam præcipitâsse causam dicitur: cùm per Emissarios suos concitatâ multitudine minutæ Nobilitatis, admotóque terrore, etiam Catholicorum quorundam animos expugnâisset, Princípem ipsum, vel invitum adegit, ut impiis Decretis subscriberet: ita furere Nobilitatem obtendens, ut nulla superesset declinandi supremi discriminis via, nisi

tempori cederetur. Ergo in perva-  
lio Natalitorum Christi, cum Patres in  
prætorium accersissent, Cancellarius,  
& alter Senator, Principis nomine sic  
eos alloquuntur: Quandoquidem No-  
bilitas universa ita urgeret eorum ex  
Transsilvania profectionem, ut Prin-  
ceps obstatere ultrà non posset, nisi  
Regno privari vellet, ac sinere omnia  
pessumire, cogitandum illis esse, quid  
faciendum videretur, ut aliqua ini-  
retur concordiæ via. Cupere quidem  
Sigismundum, Patrum, ac Præceptorū  
fūorum tueri innocentiam, conservare  
jura, charitatem, ac merita remune-  
rari: verumtamen quando eò usque  
Nobilitatis pertinacia excesserat, opor-  
tere aliquid ei dare, nec videri fieri  
posse, ut posthac omnia Societas ob-  
tineret loca, quæ id temporis tenuis-  
set. Vix habere Senatum, quid edi-  
to sub Regina Isabella Decreto de bonis  
Ecclesiasticis nunquam Ecclesiæ ipsi  
reddendis, responderet. Ad hæc Pa-  
tres

tres missō ad Principem scriptō respon-  
 derunt, nihil quidem sibi magis cordi,  
 quam concordiam esse : sed quemad-  
 modum salvā conscientiā, & regni ju-  
 re, confici posset, non videre. Nam  
 si jubeantur Principem deferere, ante-  
 quam ei Sacerdotes alii Catholici præ-  
 stō sint : & à concione, scholis, aliisq;  
 abstinere Ecclesiasticis muneribus, nul-  
 lō id pactō fas esse, cūm id, præter-  
 quam quòd vitæ, quam ipsi profite-  
 bantur, repugnabat, saluti tum Catho-  
 licorum, tum præcipue ipsius Princi-  
 pis adversaretur, cuius potissimū cau-  
 sā acciti fuerant : nec fas esse bonis ce-  
 dere, quæ ob eam rem Claudiopoli,  
 Albæ, & Varadini , donata jure per-  
 petuo fuerant, primūm quòd optimo  
 illa jure possiderent donata à Rege, &  
 Principe , & possessione ex Regni De-  
 cretis, nemine repugnante rectè inita;  
 deinde , quia si qua ex parte sua ipsi  
 paterentur jura violari, ex facili omnia  
 perderent, authoritatique, ac piæ vo-  
 luntati

luntati Principum detraherent, ac pef-  
 simum ceteris exemplum præberent  
 similia audendi. Præterea in ma-  
 gnam ignominiam cederet ipsius Prin-  
 cipis, Stephanique, & Christophori,  
 tanquam illi iniquè donâssent, quæ sui  
 juris non erant, vel suæ potestatis fi-  
 nes ignorâssent, ac nescissent, quid  
 cui tradere liceret, ut eorum Decreta  
 velut irrita, & iniqua oportuerit sta-  
 tim dissolvi. Ipsi præterea viderentur  
 adem, vel iniquè possedisse, vel tale  
 aliquid admississe crimen, propter quod  
 infami illâ mulctâ digni judicarentur:  
 nec posse multorum scandals averti,  
 qui propterea eos cessisse existimarent,  
 quod reipsa fraudis convicti essent:  
 quare quod antè fecerant, nunc de in-  
 tegro profiteri, nec jure suo, nec bo-  
 nis, nec privilegiis cedere: quod si  
 per vim adempta essent, nihil tamen  
 iis velle detractum: Nam Decretum  
 sub Isabella, & inane, & iniquum sem-  
 per fuisse, & eidem, si quid valuisset,  
 sit

rite postea abrogatum luculenter se se  
jam demonstrâsse. Quæ cùm ita es-  
sent, tamen pacis causâ, si hæc duo  
sibi salva relinquantur, ut ministeria  
pro instituti ratione liberè exerceant,  
& in suis bonis, ac locis pacatè vivant,  
de reliquo paratos inire concordiam,  
& conditiones, quæ honestæ ferantur,  
subire.

### §. V.

*Decernitur Societati Exiliū ē Trans-  
silvania, nullo manere permisso.*

Communis erat opinio, Nobilitatem,  
si modo Jesuitæ à Principis latere  
amoverentur, satis ab se impetratum  
existimaturam, eoque fore contentam:  
tamen summo manè Christi Natalis De-  
cretum ab Senatu, & Gubernatore fit,  
ut cedant Jesuitæ cunctis Regni urbi-  
bus, liceat tamen suis in fundis, suōq;  
Monostoro degere: quod Decretum  
cùm eodē die in Comitiis promulgare-  
tur, Nobilitas, sive ab tragædiæ autho-  
ribus

ribus incitata, sive ex eo, quod jam ult  
 tra spem expresserat, ad ultima extor  
 quenda audacior facta, institit flagi  
 tare, prorsus ut ex omni Transsilva  
 nia juberentur facessere. Nulla fuit  
 dimicatio, adeo adversa factio inva  
 luerat. Conduntur ex eorum libidi  
 ne multa adversus sanctam Religionem  
 Decreta: inter alia, ut Jesuitæ intra  
 quintum, & vigesimum diem ex o  
 mni Transsilvanorum ditione excedant,  
 bona eorum Fisco addicantur: nec  
 posthac cuiquam Transsilvanorum fas  
 sit, Jesuitarum quempiam apud se ha  
 bere, neque iis, aut ullis omnino Re  
 ligiosis pateat unquam in Regnum ac  
 cessus. In hæc coactus est Sigismun  
 dus consentire die S. Stephani Proto  
 martyris, Patribus, ne quid moye  
 rent, vetitis domicilii sui limine pe  
 dem efferre. Qui cùm interrogari  
 jussissent, num amplius Princeps ad sa  
 cra uti operâ illorum vellet, Guber  
 nator respondit, sacra posthac nequa  
 quam

quam fore necessaria Princepi, statimque Religiosam supellecilem ab Praetorio ad eos remisit. Divinæ ejusdici voces, quibus Christus Dominus Iudeorum, & Sacerdotum Principes compellavit: *Ecce, ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem:* & aliæ ejusmodi è Psalmis, tum consolabantur famulos DEI, dum ad misericordiam pereuntium gentium comovebant. Die S. Joannis cùm Medgyesino jussi essent Patres Claudiopolim se referre, tanta coorta processa est, ut tectum templi ejus, in quo proscriptionis Decretum promulgatum erat, & eam inum ab domo Principis, & Pontis Albani partem disjecta. Præcucurrit Claudiopolim proscriptæ fama Societatis. Triumphare hæreticorum plerique ( nam quidam ex iis quoque querebantur injuriam )

mœsti , mutique Catholici tanquam stupore quodam torpere : Scholastico-  
corum juventus impleri lachrymis :  
Sociorum alii aliter affici , hi dolere,  
quod animis tam multis tantum para-  
retur exitium : hi gaudere , quod di-  
gni ipsi haberentur pro Christi nomi-  
ne quidpiam pati . Supervenere his  
ab Conventu Patres , postque mixtos  
lachrymis amplexus , gratiis DEO a-  
ctis , quod tali ipsos exercitatione , ac  
rudimento dignaretur , imploratoque  
lumine ad cognoscendam ejus volun-  
tatem consultare aggrediuntur , paren-  
dum , necne jusso impio videretur ?  
nemo erat omnium , quin si censere-  
tur , sive universis , sive lectis qui-  
busdam manendum , eam sibi provin-  
ciam deposceret . Perplexa tamen  
admodum deliberatio erat . Auden-  
dum passim censebant , nec comitten-  
dum , ut jacta tot laboribus , atque adeo  
tot funeribus Sociorum , fementis &  
adulta jam seges proterenda pedibus ,  
 &

& ante omnia ipse Sigismundus, in quo  
tanta adhuc indoles apparuerit, ve-  
l ut inter frementes lupos agnus, dese-  
retur: quem si forte ( quod DEUS  
avertat) hæretica fraus, aut vis trans-  
versum ageret, omnis anteacti labor  
temporis, omnis futuri spes concide-  
ret. Quid futurum in mora damni?  
fortasse nimbū illum præteriturū. Quid  
si fundatur sangvis? nonne tanti esse?  
Ecclesiæ ne, an Societati novum, per  
supplicia roborari, propagari per ne-  
ces? At ex altera parte cùm Christus  
Dominus dixerit: cùm persecuti sue-  
rint vos in una civitate, fugite in a-  
liam, succurrebat vereri, ne adeò re-  
centi invidia, si repugnarent, id satis  
rationabile obsequium non esset. Si  
palam manerent, aperta videretur con-  
tumacia in contumeliam Regnitotius:  
affirmatum iri, quod semper hæretici  
clamitabant, seditionem, ac tumultū  
cieri: ad ultimum ita extrudendos,  
mañandosve, ut in omne ævum So-  
ciетati

cietati Transsilvania clauderetur; si autem dissimulanter apud Orthodoxos hærerent Nobiles, futurum ut nec diu fallerent, & periculum ipsis quoque crearent Nobilibus. Nam propter amplitudinem Regni, & Catholicorum frequentiam, multò plus licere in Anglia. Quod si tantisper cederent, exemplum præbituros modestiæ, per quam & iniquorum ex aliqua parte saturarent odia, & misericordiam plebis concirent. Multò magis augendum mox desideriū, ubi sublatâ illâ celebritate Academiæ, nullas superesset splendor literarum in Regno, nulla juventutis cultura, abiegarique in longinquas terras oporteret cum sollicitudine parentum, periculis filiorū, serum dispendio, qui nuper in oculis convictuque carorum erudiebantur. Carendo enim magis, quam fruendo pretia rerum cognosci. Confirmatum suas paulatim opes Sigismundū. Denique eo apertiorem brevi redditum fore

fore, quod obedientius in praesens ce-  
 derent, ostenderentque inter alia tam  
 uberes agros, tam facile relinquendo,  
 nequaquam ab se terrenos adhuc, sed  
 coelestes modò in Transsilvania fructus  
 quæsitos. Hæc, & id genus multa in  
 partem utramq; cùm dicerentur, Pro-  
 provincialis censuit explorandam Si-  
 gismundi voluntatem : tum si ita ille  
 censeret, serviendum necessitati, ne  
 si quid fortè in ipsum Nobilitas comit-  
 teret, tanquam Regnorum eversores  
 Jesuitas pro suo more hæretici infa-  
 marent. Nec multò pòst, absoluto  
 Conventu susceptis Regni gubernacu-  
 lis Sigismundus Albam revertit, sed ita  
 hæreticorum obseptus custodiâ, poten-  
 tiâque oppressus, ut cùm aditum ad  
 eum Provincialis quæreret, in ejus  
 conspectum admissus non sit: respon-  
 sum est, postridie ejus copiam fore in  
 templo, quod esset venturus: sed cùm  
 haud venisset, per libellum rogatur,  
 ut quanquam bonis exuti essent, pate-  
 getur

retur tamen aliquos de Societate Sacerdotes subsistere. DEUM illis suspeditaturum : sed responsum relatum est, nemo ut omnino maneret. Erat Albæ Joannes Lelesius, qui Principem à prima pueritia educarat, in eaque cura contracto (ut infrà narrabitur) morbo, aliquot jam annos inter acerbos dolores ita paralyticus decumbebat, ut se comovere non posset : is misit rogatum, ut quando jam proximè aberat à morte, liceret eam sibi Albæ opperiri ; sed & huic missi Equi sunt, quibus in summa frigorum asperitate, in arcem finitimam, cui nomen Kóvár, asportaretur. Edictum tamen est, ut nemo discedentibus molestus foret.



## §. VI.

*Oratio discedentium Patrum ad Principem. Ejus responsio, & testimonium virtutis Patrum suppliciae eorum, qui causæ injuriæ fuerant.*

**T**ertio Idus Januarias ad Principem, quanquam æ grè, tandem ut eum ultimum salutarent, admissi, verba ita fecerunt. In hoc gravi nostro casu est nobis, Princeps, consolatio ingens, & vera lætitia, quòd isto loco intuemur, in majorum tuorum constitutū sede. Caritas enim, quâ nostris hæres visceribus, minus sentire nos nostra sinit vulnera, dum tua cernimus incrementa. Est item aliquis nobis fructus, quòd sub disciplina ita nostra profeceris, ut ista ætate imperio dignus habitus sis. Tibi igitur, ut ex animo gratulamur, ita imortales nostro, tuoque nomine grates agimus DEO,

DEO, ad istud qui te culmen evexit;  
Majestatemque illam præpotentem, atq;  
optimam cunctis veneramur precibus,  
ut bene, feliciter, sancte, piisque, eve-  
nire tibi ad suam gloriam, tuamque  
ac popularium æternam, & præsentem  
beatitatem istum principatum velit;  
ut sit tibi accessio dignitatis, virtutis  
profectus, & progressio virtutis, gra-  
dus ad decora ampliora. Aliis tuo con-  
spectu, maturaque virtute licebit frui.  
De nobis, quando aliter visum æternæ  
sapientiæ est, non possumus tamen  
in hoc ultimo, quō te assamur digres-  
su, gratias tibi non quam maximas  
agere de voluntate, quā adhuc nos,  
ordinemque nostrum complexus es.  
Perspeximus enim singularem semper  
tuam erga nos pietatem, benignitatē,  
atque adeo observantiam. Utinam  
possemus vel fuso sanguine testificari  
merita, & studia tua non pessimè esse  
collocata. Unum quod nobis unicè  
solatio est, planè persuadere cupimus  
tibi,

tibi , nos culpâ vacare , proscriptos nullô judiciorum ordine , nullô defensioni relictô locô , præter omne Jus fasque beneficiis Parentis tui , & Patrui , sapientissimorum , & piissimum Principum spoliatos . Quidquid tamen sit , si quis in ea re adolescètiæ tuæ adhæsit error , non modo tibi , cui vim propè allatam novimus , sed & ipsis totius tempestatis concitatoribus , & quicunque ullo modo fuere participes , ultro prudentes , volentesque , uti Religiosos , & Christi sectatores decet , ignoscimus , concedimus , condonamus . Ita ignoscatur sumus ille Judex è Cœlo , & aperiens suarum sinum benedictionum pro iis malis , quæ nobis inferre voluerunt , milies geminata bona in eos effundat . Denique si quid suprema hæc verba ad eam quam habes possunt constantiam addere , precamur te illud , & obtemperemus . Memor esto Sigismunde , qui sis , qui fueris adhuc , ex quibus ortus

sis. Magnum habes ex ipsa prima tua  
 ætate ad magna pro Religione præstan-  
 da calcar, quæ ea dedit Christiano or-  
 bi pignora, ut impensè laborandum  
 sit tibi, ut expectationem, quam con-  
 citasti, ne fallas. Memor esto, quam  
 à Patruo, Parenteque tuo hæreditatem  
 gloriæ è studio incorruptæ Religionis  
 tuendæ partem acceperis; illos intuē-  
 re: illi consiliis tuis ubique intersint.  
**Ante omnia id cura semper,** ut salva-  
 sit Religio, quia in ea sunt omnia.  
**En abs te nos corporibus** quidem avel-  
 limur, animis tamen hæremus apud  
 te, & observantiam tui, gratiq; ani-  
 mi memoriam nobiscum asportamus.  
**Quod poterit à nobis tibi usus esse in**  
 precibus, & sacrificiis ( hoc enim uni-  
 cum relictum est obsequii genus ) cer-  
 tum habeto, enixè, assidue, & recen-  
 tissimò semper studiò delatueros. Re-  
 sponsum est nomine Principis, agno-  
 scere eum, se ab Societate ad omnē  
 virtutem, & pietatem rectè fuisse in-  
 stitu-

stitutum, & in literis eorundem opera non mediocres progressus fecisse. Causam ejectionis fuisse Regnicolas, quibus obsistere Princeps nequiverit, cum magnam habeant libertatem prout voluntas tulerit, Decreta condendi: Futurum se perpetuo sui similem, inque fide Catholica permansurū. Dedit abeuntibus in viaticum bonam pecuniae sumam; dein adjecit literas, quibus fidem faciebat, dimissos, quod ferre eos Religionis causā, Nobilitas nequivisset: in suis muneribus, recte se, laudabiliterque gessisse. Hunc finem habuit prima Societatis in Transsilvania comoratio. Claudius Generalis non admodum probavit, quod cuncti abiissent, longè majore cū spe, quam periculo, praesertim cum Balthasar & Stephanus Batorii postularent, potuisse paucos subsistere. Quod die praefixus fuerat nostris exitus ē Transsilvania, eō Getzius dudum male valens, animam miser exhalavit, multum ge-

mens , & ingeminans : Væ mihi , qui  
 Stephano Regi meo dātam fidem fefel-  
 li . Aliud pœnitentiæ justæ signum  
 non dedit . Sanè , & Cancellarius tan-  
 dem , & ceteri Religionis Catholicæ e-  
 versores , dederunt meritas pœnas ,  
 ( ut infrà narrabitur ) cùm alii Gentí  
 Batoreæ , alii Sigismundo Principi no-  
 minatim moliti exitium essent . Uxor  
 autem Cancellarii , quæ virum rabide  
 incitārat , deprehensa in adulterio , vul-  
 gatāque per totum Regnum iñfamia ,  
 ac repudiata , miserrimam vitam  
 miseriore morte mu-  
 tavit .



CA-

## CAPUT V.

*Itinera Patrum, eorumque ærumnæ. Consilia varia de restituenda Societate.*

An. C. MDLXXXIX.  
Soc. L.

EX Transsilvanico exilio Sociorum plerique in Poloniam rediere, pars in Austriam, quinque in Moldaviam missi. Stephanus Arator, & Matthias Thomanius in Hungariam transfere. Cumque (ut in summa hyeme) ingenti frigore, & nivosis procellis, congelascerent, morbum inde Matthias ad Kis-Várdam contraxit, unde & paucis diebus extinctus est. Adfuit illi summa caritate Arator, cumque moribundo Sacrum Viaticum porrexisset, repletus ille gaudio, Pater Stephane,

inquit, lucrati sumus vitam eternam.  
 Cui Stephanus: quidni lucraremur, qui  
 pro Christo ejusque sacro sancto Evan-  
 gelio exilium hoc savissimo tempore to-  
 leramus. Hæc ipse met Stephanus, cùm  
 postea ad Generalem Præpositum scri-  
 beret, illa addit: hunc ego, si liceat  
 dicere, judico esse Martyrem, cùm re-  
 legatio propter fidem, & mors in exilio  
 obita, videatur ad Martyrium sufficere.  
 Corpus ejus, idem vehendū curavit in  
 oppidum Lelesium: ibique in templo  
 Catholico, decoro funere, cui Episco-  
 pus ipse Agriensis ( post expugnatam à  
 Turcis 1596. Agriam sede eō transla-  
 ta ) cum suo clero intersuit, sepeli-  
 vit. Erat Thomanus natione Hun-  
 garus, ineunte anno 1569. in Socie-  
 tatem Viennæ receptus. Ex eo tem-  
 pore partim discens, partim docens  
 literas, partim aliis Ministeriis, cùm  
 Societatem, tum proximos juvans,  
 recto cum exemplo, & nomine vitam  
 exegit. Obiit 7. Kal. Martii, annum

ætatis duodequadragesimū agens. A-  
 rator apud Episcopum Agriensem hye-  
 me in sacris cōncionibus positā, inde  
 latè discurrens, totam Imperatori sub-  
 jectam Hungariam, Evangelio imple-  
 vit. Joannes autem Lelesius, cū lon-  
 gius iter, adeo horrida tempestate,  
 valetudo ejus perdita minimè tolera-  
 ret, in vicinam arcem Kóvár delatus,  
 usque ad autumnū in ea cum Marco  
 Sisciensi mansit. Singularis erat arcis  
 Præfetti Christophori Keresztúri pie-  
 tas, uxorisque ejus, ac filiorum. Mar-  
 cus (nam Lelesio satis erat negotii,  
 tolerandis morbi doloribus) non solùm  
 Divina mysteria, sed & verbum DEI  
 strenuè dividebat præsidiariis militibus.  
 Multi etiam undique, tanquam orba-  
 ti alio omni perfugio, animarum suarū  
 petentes remedia, confluabant. Cæpit  
 deinde vereri Lelesius, ne illa adeo in  
 propinquο comoratio, in Sigismundi  
 Principis, perniciem traheretur (Non  
 enim dissimulabant hæretici esse sibi

intolerandam ) Præterea falsus toto  
eo tractu rumor increbuit , Claudium  
**Generalem Romæ demortuum.** Quæ  
cùm restitutionem in Transsilvaniam  
omnino in longum dilatum iri promit-  
terent , Lelesius cum Sociis in Hunga-  
riam, inde in Austriam venit.

Multa multis locis agitabantur con-  
silia , per quæ revocari Societas posset.  
**Transsilvaní enim Catholici omnes**,  
magni juxtâ, ac parvi, omnibus preci-  
bus obtestabantur : ne causa desere-  
retur. Non deerant , qui vehemen-  
ter svaderent , ut Turcici Imperatoris  
interponeretur authoritas. Tantam  
enim per injuriā , quæ donârunt ju-  
sti Principes erepta fuisse , ut haud du-  
biè ille ipse Tyrannus , jussurus esset  
reddi , si auxilium ejus implorareretur,  
multique ad id operam suam & præ-  
cipuè Bartholomæus ille Brutus è Mol-  
davia , satis in Constantinopolitana  
Aula gratiosus , deferebant. Neque  
absurdum videri debere , si via ejusmodi  
tentat-

tentaretur, cùm ad profectum Evangelii, Paulus ipse Cæsarem appellàset. Ceterū non eò redactam causam existimaverunt Patres, ut talibus niti molimétis deceret. Sperabant potius, ubi plus nactus esset virium Sigismundus, & Adversariorum defervuisse invidia, certiorem, moliorēque, patefactā per ipsos met Transsilvanos viā, redditum fore; dabátque non obscura hujus rei Sigismundus īdicia. Nam ut abiēre Socii, venit ad eum Agriensis Canonicus Martinus Undo, qui certā causā ab Societate dimissus, singularem adversus eam observantiam, conservabat, ac velut caduca poma, sape arborem, unde excidere opimāt, sic ille in præsens, ordīni ex quo dīcesserat, per opportunam navavit operam. Gravem Sigismundo religionem injecit, quòd in sacrorum viorum ejectionem, adeo īfamem, & sacrarum facultatū tam iniquam erptionem, consensisset. Non modo

fraude maxima maculasse eum conscientiam, talia comprobando, sed etiam anathematis gravissimis se induisse laqueis, unde nisi Pontificia auctoritate expediri non posset. Mordit bonam Principis mentem injetus scrupulus, exarat furtim literas in Urbem ad Clodium Generalem, purgans factum omni verborum modestia, impenséque rogans, ut paternū adversū se obtinere animum perseverans, velit Cardinalibus manifestum facere, quantā vi adactus sit, ut tempestati illi cederet. Cum Patre verò sanctissimo, & illud ne gravetur agere, ut se se anathemate, quō dicebatur irretitus, exolveret. Adjecit ad Sextum Pontificem, cum Societatis Iuculenta prædicatione literas, ob studium, quod in restituenda Religione bene, felicitérque ponebant, ej eos finisse contestans, & alia pietatis, & doctrinæ eorum præconia. Ita Sextus rogante multum, ac spondente pro eo

Patre Generali, Principi potestatem fecit diligendi Confessarii, à quo salubri decretâ pœnâ absolveretur, graviter monens, ut omni conatu ad Societatem restituendam insisteret.

## CAPUT VI.

*Sigismundus Societatem  
restituere conatur, eandem Ad-  
versarii anno sequente iterum  
ejiciendam curant.*

An. C. 1590. & 1591.

Soc. 51. & 52.

IN Transsilvaniam redditus in dies pastuscebat magis. Conservabat quæcunque Collegiorum fuerant protrsus illibata Sigismundus, nec invadi possessiones nec redigi in Fiscum sinebat fructus; verum in usum seponebat ejus temporis, quô Societas remigraret.

Accivit quin jetiam è Moldavia Valentinius Ladum, qui in arce Fogarasi palam cum Societatis usitato cultu, nec admodum (ut quidam præferebant), invitit hæreticis, Sacerdotis Catholici munia, sedulitate sua, & bonitate tractavit. Anno insequente tres alios è Societate Sacerdotes postulavit. Redditum illis Collegium quod habebat antea Societas Albæ Julijæ; placuit nihilominus ut abstinerent tantisper veste Societatis, & eam induerent, quâ Canonici vulgo utebantur.

Ut manum ultimam bene cæptis imponeret Sigismundus, Comitia omnium Transsilvaniæ ordinum in Kalendas Octobres 1591. indixit, nihil dubitans, quin Societatis in integrum restitutionem impetraret. Eam ob rem adjungere sibi studuit animos Procerum, qui auctoritate, & gratia in hæreticorū partibus pollebant, verùm duæ suffragiis, eò pars Comitiorū major incu-

incubuit, ut indictum in Medgyesiensi  
 Conventu Religioni & Societati exiliū,  
 novō Decretō sanctiretur. Datum id  
 Principi duntaxat, ut Albæ Juliæ tem-  
 plum unum Catholicis pateret, itēmq;  
 unum, & alterum aliis quibusdam in  
 oppidis. Eō processit impiorum a-  
 mentia, ut Transsilvaniā in Turca-  
 rum fidem, clientelāmque conferre  
 cogitarent, potius quàm Religionem  
 Catholicam in ea stare paterentur.

Clemens Pontifex infestos Religioni  
 conatus Procerū inhibere meditans,  
 id enixè curabat, ut Sigismundum in-  
 duceret ad feriendum ī Turcas cum  
 Rudolpho fœdus, qui cognita  
 Pontificis voluntate, arma, & consi-  
 lia cum Cæsare, & Austriacis in com-  
 munem Religionis hostem junxit. Æ-  
 grè adducti sunt Transsilvani privatis  
 addicti comodis & à Cæsare non mi-  
 nùs abhorrentes, quàm à Catholica  
 Religione, ut fœdus hoc ratum ha-  
 berent. Itaque à Turcis invitati, &

magnorum spe præmiorum illecti, in  
impium conspirant fœdus: ac de ipso  
Sigismundo Turcis necive dedendo cō-  
jurant. Fingunt se in periculosem  
deductos locum, ubi sustinere hostiū  
impetus nequeant, nisi suas ipsis co-  
hortes properè submittat. Credidit;  
robur exercitus ad eosdem misit. Post-  
quam copiis exutum vident, sibi deli-  
beratum esse declarant redire ad par-  
tes, & amicitiam Turcarum; ac nisi  
cum ipsis in hoc fœdus juret, nihil ei-  
tutum in Transsilvania fore. Quid-  
ageret Sigismundus? Dignum forti &  
Christiano Principe consilium capit:  
negat se illis assentiri posse: malle Prin-  
cipatum, quam Cæsari datam, & Chri-  
sto fidem abjicere. Sed conjurati,  
cùm exercitum haberent in potestate,  
miserum Principem eò adegerunt, ut  
fugæ consilium iniuste cogeretur. Kō-  
varinum effugit, arcem pari fraude,  
militem præsidiō vacuatam. Illi præ-  
erat Capitaneus Christophorus Keresz-  
turus.

turus Catholicus, pietate in DEUM,  
fide in Sigismundum, vir integerrimus,  
quem publico Procerū edicto ad Som-  
liam arcem cum tota suorum manu  
quasi ad arcendos Tartaros excubare  
jussum, nec, quid perfidi machina-  
rentur, gnarum, Sigismundus per ce-  
leres nuncios de re tota facit certio-  
rem, mox & ad vicinarum arcium  
Præfectos scribit, opemq; ipsorum ac  
fidem implorat. Advolat exemplò  
cum suis Kereszturus, ac fidissimi qui-  
que, inter quos Gaspar Kornisius arcis  
Husztensis Capitaneus, Ladislaus Gyu-  
lafius, consolantur mæstum, jacen-  
tem, proditum à suis, & in spem for-  
tunæ lætioris erigunt, quorum auxi-  
liis, promissisq; fretus, revolat Clau-  
diopolim ad Comitia, quæ factiosi in-  
dixerant, novum sibi Dominum ele-  
cturi. Territi præsentia Principis (est  
enim omnis seditio timida, si resistere  
scias) demittunt animos, ac recens  
foedus cum Cæsare iustum, integrari pa-  
tiun-

tiuntur. Sigismundus ulterius audendum ratus , introductis in urbem furtim focto militum promptissimorum millibus , conjuratorum Duces comprehendit : ex iis quinque palam capite plesti , alios clam tolli de medio , alios in exilium pelli jubet , omnium publicat bona , arces & oppida occupat. suppicia hæc de conjuratis jure fuisse sumpta , anno in sequente publico Decreto ipsi Transsilvani pronunciarunt , quod Decretum teste Wolff gango Betlen Lib. VIII. Jus

**Ligatum appellaverunt.**



**CA-**

# CAPUT VII.

*Restituitur cum Religione  
ne Societas : obitus P. Jo-  
annis Lelesii.*

An. Chr. 1595.  
Socict. 56.

FRactis perduellibus , nova lux rebus  
perturbatissimis affulsit . Sigismun-  
dus coactis Albæ Juliae ( hodie Caro-  
linæ ) sub idus Apriles Regni Comitiis ,  
primò fœdus confirmandum , deinde  
Catholicam Religionem vindicandam  
in libertatem , deniq; Societatem post-  
liminið restituendam curavit , abrogat-  
tis hac in parte Comitorum Medgye-  
siensiu Actis . Ita VI. idus Maij redditu  
nobis fuit Collegiu Claudiopolitanum .  
Patribus in sedes antiquas restitutis ,  
additi sunt nonnulli ex Austria decer-  
pti & Polonia , eodem accessit P. Joan-  
nes

nes Majorius ex Italia , cū Claudio Ver-  
nelio , humaniorum nuper literarum  
in Collegio Nivernensi Professore.

Cognitō Sigismundi in constituenda Religione ac Societate restituenda  
felici conatu , P. Joannes Lelesius ,  
qāsi votorum suūnam attigisset , paulò  
pōst cessit ē vita. Primus ē nostris Trās-  
silvaniam ingressus , Societatis in ea  
collocandæ præcipuus auctor extiterat.  
Regionis tunc principatum obti-  
nebat Christophorus Batorius , cūmque  
in septenni filio Sigismundo magnam  
spem Religionis Catholicæ aliquando  
per eum stabiliendæ , propter egregias  
pueri dotes , repositam haberet , ipsi  
morum ac bonarum artium Magistrū  
tradidit Patrem Lelesium anno 1584.  
Ille ut subditos futuro Principi similes  
pararet , eos ab eisorum , qui Transsil-  
vaniam miserrimè deformabant , pe-  
stibus liberare studuit ; effecitq; apud  
Regni Proceres , ut siquidem suas ipsi  
tenebras amarent , liberis saltem suis  
lucem

lucem veritatis ne inviderent. Nec  
 difficile perswasit. Ea quippe infelicità  
 parentum sæpe conditio, vel dementia  
 potius est, ut filiis suis pejores se esse,  
 nō molestè ferant. Quamobrem Regni  
 juventus Nobilis, Claudiopolitani Col-  
 legii non ita pridem constituti, scholas  
 brevi tempore implevit. Interea Prin-  
 cipis Regii moderator Aulam hæresi-  
 bus Calvini, Lutheri, & Arii di-  
 ligentissimè repurgabat; cùm ei à fœ-  
 mina primaria, ut plerique tradide-  
 runt, propinatum in convivio vene-  
 num est: quò remedii paululum re-  
 pressò, lentâ dum vixit paralyti con-  
 strictus, profligatam valetudinem ægrè  
 sustentavit. Pergebat nihilominus  
 exequi consiliô & prudentiâ, quod  
 præstare viribus non ita facile poterat;  
 æ teneram Sigismundi ætatem usque  
 ad annum duodevigesimum feliciter  
 institutam provexit, donec orta Pro-  
 cerum hæreticorū in Religionem con-  
 spiratio, Societatem, cùmque illa Pa-  
 trem

trem Lelesium Transsilvanis eripuit anno 1588. Principenec quicquā obiectante , ac Magistrum carissimum solitā benevolentiā , & subsidiis libera-liter prosequente. Viennam Austriæ digressus , morbo recrudescente Patavinas aquas adiit , quibus cùm minime levaretur , Lauretum devectus est , ubi prope ædem Virginis Matris , & velut in ejus complexu spiritum ultimum effudit anno 1595. Hungarus erat , Quinque Ecclesiis natus , oriundus tamen Varadino. Annos vitæ numerabat septem & quadraginta , Societatis decem & octo , virtutes duas , in aulico Principum comitatu insigniores , eximiè coluerat , castimoniam ab omni vel levissima suspicione intactam , & religiosam paupertatem. Itaque cùm Principis opulenti liberalitate ac benevolentiā largiter uti posset , nihil ex ea in se derivabat , præterquā ad usus vitæ necessarios. Cultus corporis , victus , ornatus cubiculi nihil

ab ea tenuitate ac frugalitate discrepabat, quam nobis instituti nostri leges præcipiunt.

Rebus ita constitutis, ut Turcicum urgeret bellum, Polonicum averteret, Sigismundus Pragam ad Cæsarem profectus est, ineunte Februario 1596. Unde postero mense reversus, scribit ad Pontificem, ut Legatum in Poloniā mitteret, qui Regem ad socianda cum Cæsare ac Transsilvanis in Turcas arma hortaretur. Missus est Cardinalis Caetanus. Ex Hispania quoq; necessaria allata sunt subsidia, quibus erecti Transsilvani, pugnam felicibus auspiciis comisere, quam Ungari à vicino pago Keresztesianam appellârunt, Turcæ illi nomē ab Agria, quam haud ita pridem cæperant, & ad quam pugnatū erat, sc̄cere. Deleri poterat Ottomanorum exercitus, & ipse Mahometes conjectus in fugam, capi, nisi partam, ac prope positam in manibus victoriam, amisisset inconsulta prædæ cupi-

cupiditas, & luſtuſam in cladē con-  
vertiſſet. *vide Wolfgangum Betlen*  
*Lib. IX.*

Has inter curas, et ſi perutiles Re-  
ligioni ac propè neceſſarias, Sigismun-  
dus aliud majoris ad Eccleſiæ Transſil-  
vanicæ præſidium, ornatūmque mo-  
mēti, agitavit, de proprio Epifcopo Re-  
gioni tribuendo; qui federet Albæ Ju-  
liæ, ac fidem Catholicam præſenti M a-  
jestate atque auſtoritate contineret.  
Nec diu deliberavit, quem huic mu-  
neri destinaret, Carillium Societatis  
Sacerdotem nominat, idem Apostoli-  
co Nuncio placebat, unus diſſentie-  
bat Carilius; diſfidénsque cauſam a-  
pud utrumque obtinere ſe poſſe, Vien-  
nam, & Pragam aliò quodam nomine  
& prætextu ad volans, perfecit, ut De-  
metrius Napragius eā dignitate, cui  
parem illum ſua virtus fe-  
cerat, ornaretur.

## CAPUT VIII.

*Sigismundus abdicatum  
principatum resumit. Socie-  
tas iterum pellitur.*

An. Chr. I 5 9 8.  
Societ. 59.

Inter hæc ingens rerum facta inclina-  
tio. Sigismundus seditioni domesti-  
carum, atque adeo belli tædiò victus,  
& innatâ ductus inconstantiâ , de ab-  
dicando Transsilvaniæ principatu co-  
gitavit ; ipsam quoque conjugem , à  
beneficis , ut creditum est , fascina-  
tus , cæperat aversari. Quare Pra-  
gam , ad Cæsarem de suo deponendi  
Principatus consilio scribit. Èdem  
ipse post paulò profectus , cùm per-  
staret in proposito , affirmarébatque se  
Polonis Turcisye possessionem Regi-  
nis daturum , si de illa transfigere secū  
Cæsar

Cæsar abnueret; in istas leges deniq;  
ambo convenerunt, ut Transsilvania  
cederet in Rudolphi jus ac ditionem;  
ipse Oppolitanum in Silesia Comita-  
tum, & certam numorum pensionem  
acciperet. Ejusmodi pactionem anno  
1598, convocatis ineunte Aprili Tras-  
silvaniæ Comitiis significavit, popu-  
lumque Sacramento solutum, Rudol-  
pho ejusve Præfectis parere jussit, ac  
demum in Silesiam paucis post diebus  
secessit. Ibi privatus è Principe, solus,  
extorris, ignotusque, se respexit, &  
abjectam temere dignitatem repeteret  
constituit. Ergo se delusum à Ru-  
dolpho questus, redit Claudiopolim  
exeunte sextili anno 1598. & à suis  
Transsilvanis in principatum restitui-  
tur, nonnullis tamen propositis con-  
ditionibus ac duabus nominatim; u-  
nâ, ut Societas Claudiopoli, & Albâ  
Juliâ pelleretur; alterâ, ut quam Pa-  
tres habebant ædem sacram Albæ, illa  
hæreticis traderetur. De aliis omni-  
bus,

bus, præterquam duabus istis conditionibus Princeps initio consentit. Verum cum instantent Religionis hostes, cedendum ex parte ratus iniquæ postulationi, ac temporis, templum hereticis tradere omnino renuit; quin Patres Albâ Juliâ recederent ad breve tempus, non reeusavit: literas tamē illis amplissimas in nocentiae testes dedit; ac potestatem fruendi vestigibus Collegii, dum abessent fecit: iis demum anno sequente Collegiū ipsum restituit.

Quemadmodum Clemens Pontifex abdicationē Sigismundi nunquam probaverat, sic ejusdem in pristinum gradum restitutionem non valde improbavit, modo Cæsari, & ejus fratri Maximiliano, cui Cæsar Transsilvaniam destinabat, satisficeret. Apud Cæsarem nihil admodum promovebatur. Is enim, ut Transsilvaniæ possessionem iniret ex fœdere, parabat bellum: cuius terrore fractus Sigismundus, de ab-

dicando iterum principatu cum suis  
deliberavit.

Illi, quibus invisa Domus Austria-  
cæ pietas & potentia erat, eum per-  
pulerunt, ut si principatum deponere  
statuisset, hunc potius in gentilem su-  
um & Patruellem Andream Batorium  
Cardinalem transferret, quam alienis  
manciparet. Accitus confessim Cár-  
dinalis, & Transsilvaniæ Princeps ap-  
pellatus, indicit Comitia in mensem  
Octobrem anni 1599. Convenerant  
hæretici frequentes, ad Religionem pe-  
nitus evertendam conjurati. Impio-  
rum conatus providentia Numinis in-  
hibuit. Vix inchoatis Comitiis, affer-  
tur Michaëlem Valachiæ Vajvodam,  
adesse cum exercitu, ad eam, ut aje-  
bat, Cæsari vindicandam; & supera-  
tis montium angustiis, iñminere. Tre-  
pido nuncio consternatus Andreas Car-  
dinalis cætum abrumpit, & collectis  
raptim sex aut septem armatorum mil-  
libus, reliquis quamprimum concur-

rere ad signa jussis, obviam Vajvodæ procurrit. Atrox prælium quinto Kalendas Novembris comissum in campis Cibiniensibus. Victus Cardinalis, & ægrè subductus è pugna, dum paucis comitantibus, per avia montium qui Moldaviam, & Poloniā à Transsilvania dirimunt, oberrat, ab Siculis fugientis vestigia prementibus obtruncatur, pridie Kal. Novemb. natus a ños tres & triginta. (a) Victor Valachus Albam Julianam triumphantis more est ingressus. Grassantibus per licentiam militarem in sacra pariter ac profana Vajvodæ copiis, Collegium Albense di-reptum fuit, ac fœdè vastatum, excusante Vajvodâ temporum acerbitatem, & plura ereptis redditum iri pollicente.



(a) vide Wolffg. Betlen Lib. X.

## CAPUT IX.

*Societas rursum restituitur, mox ab hæreticis vexatur.*

An. C. 1799. usque ad 1605.

Soc. 60, 61, 62, 63. & 64.

Interea monitus ut Transsilvaniam Cæsari restitueret, cunctabatur, illius retinendæ vias captans. Cunctantem Georgius Basta Cæsariani duxit exercitus, morem gerere coegit, ac Religioni favere. Usi opportunitate Patres Valentinus Ladus, & Thomas Domannus, Varadinum sunt profecti, ad opem Catholicis ferendam, quibus etiam ut templo duo ab hæreticis usurpata redderentur, effecerunt. Vicem reddidere Catholici Proceres, & in Regni Comitiis multa laude Societatis modestiam, ac patientiam prosecuti,

secuti, eam in pristinum statum, & Collegia reposuerunt. Spes lætissimas restituendæ similiter ubique Religionis inconstancia Sigismundi profligavit. Ille privatam pertæsus vitam, & adversus Austriacos concitatus à suis, tursum Principis nomen & personam anno 1601. sumpxit. Occurrit Georgius Basta, cum Michaële Valacho. Pugna quinto ab Alba Julia la pide committitur. Fusi cum Sigismundo Transsilvani. Victor Cæsatis exercitus irrumpit in civitatem. Milites hæretici, Michaële, qui partem copiarum ducebat non invitò, cuncta sacrilegiis, & cædibus impleverunt.

Direpta templa, eversæ Aræ, sacrae imagines laceratæ, proculata sacro-sancta mysteria, nec parcitum quietis cineribus monumentisq; mortuorum. Remanserant in Albæ Juliæ Collegio sex è nostris. Factus in eos à seole-ratis impetus. Spoliati, raptati, vul-nerati, pertrahuntur in custodiam,

ubi necem & rogos, quibus à Michaële  
 damnati dicebantur, expectabant ani-  
 mi æquitate summa. Sed Catholica  
 Belgarum Cohors, monito properè  
 Basta, Patres eductos carcere, Clau-  
 diopolim deducendos curavit. Nec  
 inulta diu scelera Michaël tulit. Ac-  
 cusatus ob victoriam superbè & cru-  
 deliter exercitam ; vocatus etiam in  
 suspicione initæ ad occupandam Träf-  
 silvaniam conjurationis, meritas, ju-  
 bente Basta, poenas superis, homini-  
 búsque persolvit. Pacatis tutisque  
 Sociis esse Claudiopoli non licuit. Si-  
 gismundus reparato exercitu, & adsci-  
 to in belli Societatem Moysé Siculo  
 (est Sicilia Transsilvaniæ provincia,  
 Valachiæ finitima) duce Arianorum,  
 ac patrono, Claudiopolim obsidione  
 cinctit. Hyems erat asperrima : mi-  
 les disciplinæ parum tenax : obfessi  
 strenue repugnabant. Offensus tot  
 rebus adversis Sigismundus, cum Ge-  
 orgio Basta paciscitur, exercitūque &  
 prin-

principatu in perpetuum relicto concessit in Bohemiam; ubi quod superfuit vitæ privatus egit, clarior & felicior onere deposito, quod humeri ferre non poterant, quam gesto. At Moyses, collectis Arianis, fretus etiam Turcarum auxiliis, bellum redintegravit contra Cæsarianos; & occupata Transsilvaniæ parte Claudiopolim infestis agminibus petiit. Plurimum in hac urbe, ac tota Transsilvania poterant Ariani, & Catholicos crudelissime vexabant. Quō pactō Regionem hanc, & vicinas invaserint breviter exponam: ab iis enim ortæ sunt potissimum calamitates Societatis, quæ Christi nomen, ac Numen prædicandum præcipue sibi sumit.

### §. I.

*Quō pactō in Transsilvaniam irreperserint Ariani.*

Arianam hæresim, post ualiderentos

tos septuaginta annos ab anno 660.  
 ad annum 1530. quam sepulta vide-  
 batur, excitavit initio saeculi decimi  
 sexti Michaël Servetus Tarragonensis  
 Medicus. Inter varios resurgentis  
 sectæ discipulos, natus est Georgium  
 Blandratam Pedemontanum. Is è Ti-  
 cinensi custodia sacrae inquisitionis e-  
 lapsus ad Transsilvanos, in aulam Jo-  
 annis Sigismundi penetravit, artis me-  
 dicæ, quam profitebatur, beneficio.  
 Clam primò quidem irrepserat ac ti-  
 midè, ob Reginæ Isabellæ metum, at-  
 que adeo ipsius Solimanni Turcarum  
 Imperatoris; qui, cum per id tempus Si-  
 gismundum in Transsilvaniæ solium  
 reponeret, novis Religionibus pacem,  
 & concordiam turbare solitus, aditum  
 præcludi omnino jussérat. Soliman-  
 no, & Isabella extinctis, Blandratæ  
 impunè sceleratum dogma sparsit,  
 Proceres, ipsumque Regem induxit,  
 ut ejus patrocinium palam & apertè su-  
 sciperent. Sic Arii redivivus error in  
 infe-

infelicem Transsilvaniam invectus est.  
 Spond. ad an. 1566. Florim. Raim. lib.  
 I. cap. 15. Conscripta protinus ad-  
 versus SS. Trinitatem volumina, cor-  
 rupti sacri Codices, & varias in lin-  
 gvas mendosè conversi, præsertim  
 in hungaricam, ut viritim legi pos-  
 sent à populo, venenúmque facilimè  
 ab incautis mentibus, aureò sacrarum  
 literarum poculò propinatum bibere-  
 tur. Stephanus, & Christophorus Ba-  
 torii, Societatem, quemadmodum su-  
 prà memoravimus, in Transsilvaniam  
 acciverunt, eō potissimum consilio, ut  
 funestum hæreseos renascentis incen-  
 dium extingverent. Ariani vicissim  
 sociatis cuin Lutherano & Calvinia-  
 no agmine copiis, eam oppugnare nō  
 destiterunt. Magnam illis vexandæ  
 Religionis facultatem dedit Sigismundus  
 Batorii, de quo proximè dicebamus,  
 levitas & incostatia, præsertim cùm  
 Moysem Siculū, Ariānū, auxilio cōtra  
 Cæsarem vocavit. Is enim, postquam

Sigismundus bello, & principatu deposito, in Bohemiam se recepit, incepta persequens, Claudiopolim obsedit anno 1603. urbē obtinebant Magistratus Ariani, qui amicum hostem portis patentibus exceperunt eā conditione, ut liceret ipsis de Collegio Societatis arbitratu suo statuere. Quid optatius Ariano duci accidere poterat? ultro annuit, & in urbem hac lege admis-sus V. Idus Junias anni 1603. Collegiū immanitati Arianorum permisit. Illi cum Moysis militibus in aedes nostras irrumpunt, antiquō in DEI Filium, ejusque Divinitatis defensores odio incensi.

## §. II.

*Immanuel Nerius mactatur  
ab Arianiis.*

PRIMUS impiae crudelitatis furor in templum se effudit. DEI patre sacra-ram Imaginem maledicis & contumeliosis confixam vocibus deturbant,

pro-

proterunt , securibus comminuant .  
 Violatis pari scelere Sanctorum simu-  
 lacris , in Sanctum Sanctorum sacrile-  
 gas cum horrendis clamoribus injici-  
 unt manus . Divinam hostiam , per-  
 fractis aræ augustis penetralibus , avel-  
 lunt , spargunt humi , pedibus pro-  
 culcant . Non tulit execrandam im-  
 pietatem Emmanuel Nerius , dome-  
 sticæ rei adjutor è Societate , & ædis  
 sacræ custos . In medium agmen fu-  
 rentium solus & inermis ruit , ac sce-  
 leratos cohibere demonstratâ sacrilegii  
 gravitate conatur . Vociferantem in-  
 vadunt , idolorum cultorem & Papi-  
 colam clamitant ; unus fronti validam  
 securim impingit ; alter glande plum-  
 beâ transfixum dejicit . Jacuit supra  
 sacrum Domini sui corpus inter ado-  
 randi Sacramenti particulas consecra-  
 tas , quibus stratum pavimentum e-  
 rat : felix morte sic appetitâ , dum  
 Christi JESU Divinitatem , & cœle-  
 stis veritatem mystæ propugnat .

Annum ætatis attigerat nonum dun-  
 taxat & vigesimum. Romam è Pe-  
 demontio, quod illi natale solum fuit,  
 profectus, & Societati adjunctus in-  
 ter domesticæ rei adjutores, an. 1601.  
 semina optimæ indolis coluerat maxi-  
 marum exercitatione virtutum, ac præ-  
 ser im ardentiſſimæ caritatis, quæ illū  
 dies noctesque stimulabat, ut fusum  
 pro se Christi Sangvinē pensaret suō.  
 Hac virtutis ejus fiduciâ ducti Socie-  
 tatis Præsides, illum Transſilvanis So-  
 ciis, cùm maximè flagarent omnia  
 bellicis terroribus, addere non dubi-  
 tarunt. Nec solus tamen Ariaporum  
 furores ac tela exceptit. A templo in  
 Collegium reliquum convolantes oc-  
 currentem è nostris Georgium Barto-  
 licum male multant fustibus, & ruptis  
 duabus costis semianimem sternunt.  
 Quibus ille vulneribus debilitatus vi-  
 tam in sumis doloribus traxit usque ad  
 annum 1615. Patrem Petrum Majo-  
 rum Virum eximiâ virtute, qui Clau-  
 diopo-

diopolim nuper incendiō & vastitate prohibuerat, graviter vulnerant ; ægrotos excutiunt cubilibus , raptantque ; ceteros plagis & maledictis extrudunt foras ; ac demū direpta & vastata tecta solo æquant : stolidè gloriantes, expetitas à Numinis violatoribus poenas, & plurium cultores Deorum urbe suâ pulsos.

### §. III.

#### *Claudiopolis de hostibus recepta, pulsi Ariani.*

**H**AUD IMPUNÈ SCELUS IMPIIIS STETIT. Moyses duplici prælio profligatus in acie cecidit, cum præcipua Transsilvaniæ Nobilitate. Claudiopolis tunc post mense quam venerat in hostiū manus, recepta ; Senator qui nefarium foedus cum Arianiis civitati persuaserat, ex infelici arbore suspensus ; postremō, in locum eversarum ab iisdem Arianiis ædium , alia in urbe

domus Societati data. Conjectifuerant ex impia militum caterva in carcерem plurimi, quorum efferata rabies in templi direptione & Gymnasiи potissimum defævierat ; ac præter ceteros ille , qui stillantem Emmanuelis sanguine securim attollens , illatam innocentissimo juveni necem , tanquam facinus inclytum prædicaverat. Sacrilegos egregiè ultus est P. Joannes Argentus , qui vices Provincialis obi- bat in Transsylvania. Evicit enim gratiâ & precibus apud Baſtam , ut omnibus parceretur. Pater verò Majorius , Collegii Rector , nunquā se induci passus est , ut Sicarium , à quo gravissimum in capite vulnus acceperat , quamvis probè cognitum , indicaret. Arianis interim diffugientibus , rediit sua Catholicæ Religioni libertas ac securitas. Divinum Christi Corpus pefestam urbem solenni supplicatione deportatum est. Umbellam gestabat Gubernator , præibant lecti de Colle-  
gio

gio pueri ducenti , pars Angelorum  
induti cultu , pars onusti floribus, qui-  
bus viam consternebant : tota civitas  
effusa sequebatur , collacrymantibus  
plerisque, præsertim senibus, qui ean-  
dem cærimoniam ante annos ferme  
quinquaginta ( nam ex eo tempore sub-  
lata fuerat ) visam à se narrabant &  
usurpatam ; confirmantibusque , cùm  
Catholici ritus vigerent in Transsilva-  
nia , neque Turcarum in ea nomen au-  
ditum , neque infandam , quæ tunc  
sœviebat , famem aliquando toleratam.

#### §. IV.

#### *Fames ac pestilentia Transsilva- niam populantur.*

E A portenti similis fuit. Passim ani-  
malium putridis , si qua occurre-  
bant , cadaveribus avidos infigebant  
dentes , & miseram dapem rabidis ca-  
nibus præripiebant. Frater sororis  
maestæ partem alvo famelicæ inges-  
sit;

sit, partem in macello venalem proposuit: Alius nepotes, alias filios, ut ingluviem diram expleret, trucidavit. Inventus in pago deserto puer, prope cadaver humanum, cui præter ossa & extremos pedes, reliqui nihil erat: interrogatus cujus esset, maternum respondit, & à se canibúsq; devoratum. Si quis furcifer tollebatur in patibulum, convolabat pauperū exangue agmen de corpore litigans, quod inter se divisum, crudis dentibus in vestigio absumerent. Lupi medias in urbes urgente fame compulsi filios è parentum sinu cunisve rapuerūt. Accedebat, ad mali cumulum, lues tanto pertinacior, quanto illam minus novatores carent. Hanc enim castigandis mortalibus à DEO imitti dic titant, ac proinde nefas arbitrantur idcirco solum vertere, aut pestiferam laborantium consuetudinem vitare. Sic aliqui è nostris extincti, ne darent ansam exprobrandi, quod velut mer-

Cenarii Pastores, majorem salutis suæ quam alienæ curam gererent. Non nulli, quorum opera minus necessaria Claudiopoli videbatur, in Poloniā se receperunt. P. Joannes Argentus, Collegio Claudiopolitano, post obitum Patris Majorii, ac toti deinde Provinciæ præfuit. Albæ Juliæ utilitatibus civium impigrè serviebat P. Michaël Mardtus, unus multorum instar; Nam lingvas, Hungaricam, Germanicam, Græcam, Latinam, Italicam, & Polonicam callebat. Ingenium viri & solertia præsertim elucebat in sedandis offensionibus mutuis Procerum & inimicitiis. Itaque cùm ad revocandam duos inter Nobiles concordiam iter necessarium suscepisset, incidit in Prædonum manus, ab iisque in flumen cum socio dejectus est decimo Kalend. Majas 1604. Nihil de utroque præterea compertum.

## CAPUT X.

*Stephanus Botskaius religioni ac Societati bellum indicit. Societas Claudiopoli pellitur, ejus causa in Comitiis disceptatur.*

An. Chr. 1605.

Socict. 6.

**T**Ranssilvaniam nomine Cæsar is administrabat Georgius Baſta. Sed Proceres, veteri aduersus Austriacos & Religionem odio incitati, pulso Baſta Stephanum Botskaium, Sigismundi Batorii propinquum, sibi præfecerunt : quem etiam Regem Turcæ dixit anno 1605. Ille tantò avidior confirmandæ auctoritatis & potentiaz, quātò deterius parta erat, viribus hæreticorum maximè utebatur, quorum partes numero & audacia pollere cernebat.

bat. Ut verò Catholicos in invidiam adduceret, libellum promulgavit, in quo certis auctoribus exploratum sibi esse affirmabat, Summum Pontificem & Cæsarem id concordibus animis atque armis moliri, ut omnes à Romana fide alienos exterminent, eorum ditescerent bonis, & imperii sui fines ambo proferrent. Ad hoc tam imane periculum propulsandum se arma sumpsisse: ne dubitarent sequi præeuntem, & sacra, patriamque se duce, defendarent. Hoc veluti classico excitati cum Transsilvanis Hungari corripuerè arma, & relicto Cæsare Botskaium sequi sunt. Destitutus magna copiarum parte Dux Cæsarei exercitus Belgiojosa funditur: Bellum crudescit, civitates quæ stabant adhuc in Cæsarianis partibus, ab iis palam deficiunt: quas inter Claudiopolis ita se Botskaio dedidit, si Religionis summam penes Arianos esse unos vellet. Assensit facile Botskaius, incertum Calvinianus

an Zwinglianus , parum certè solici-  
 tus quæ Religio , modo ne Catholica ,  
 tegnaret . Statim inter Arianos deli-  
 beratū de pellenda Societate . Postulat  
 eorum instinctu Princeps , ut bona quæ-  
 dam , & ædificia , oppidanis erepta , ipsiſ  
 restituantur . Significabat his verbis  
 eam domum , quæ post eversum anno  
 1603 . Collegium , Societati fuerat pu-  
 blicè attributa . Vocatus in Senatum  
 P. Joānes Argentus , qui Collegii & Pro-  
 vinciæ gerebat curam , respondit causā  
 hanc nequaquam ad se pertinere , qui  
 nemini quidquam rapuisset , aut ereptū  
 teneret ; qui que ita semper fuisset com-  
 paratus , ut amittere sua mallet , quā  
 tollere aliena . Tum verò Senatores  
 apertè quænam ædificia & bona essent  
 illa , declararunt : nempe domū in qua  
 scholas PP. haberent , ædem sacram , &  
 nescio quid prædii . Quibus P. Argen-  
 tus præsenti animo : Non video , in-  
 quid , quā ratione hæc civibus erepta  
 dicatis esse , quæ Societati fuerunt à le-  
 gitimis

gitimo Magistratu, vobis assentientibus  
 donata. Subjecit non esse alium hu-  
 jus controversiae judicem, quam Prin-  
 cipem ipsum, qui juratus promiserit  
 se in re tanti momenti nihil mutatu-  
 sum, sed in Regni Comitiis, utraque  
 parte audita, sententiam dicturū. Ad  
 extremum Senatores obsecravit, ut pro  
 sua æquitate perpenderent quid jus &  
 Ratio postulareret : nonnulla etiam in  
 ipsos & civitatem universam promeri-  
 ta Societatis exposuit. Movit Sena-  
 tores hæc Oratio, præsertim Catholi-  
 cos, qui ferentes graviter injuriæ in-  
 dignitatem, Senatu palam excesserūt.  
 At eorum discessu ceteri audaciores  
 facti, susceptum Societatis ejiciendæ  
 consilium urgere decreverunt. Itaq;  
 paucis post horis certos homines alle-  
 gant ad P. Argentum cum mandatis  
 haud mollibus : Senatum velle, jube-  
 re, ut quatriduo ædibus ac civitate  
 cum suis cedat: illis ad quartum usq;  
 diem impunè fore. Petiit Argentus

semel iterumque ut sibi perscriptum  
hoc mandatum daretur. Cùm ex-  
orare nihil posset, ad exuenda raptim  
altaria, & nudandum imaginibus, ne  
paterent injuriæ, templum se accinxit.  
Ingemuit quidquid in civitate Catho-  
licum ac sanum restabat. Circumfu-  
sam plebem consolatus Pater, affir-  
mánsque amissio templo DEUM non  
amitti; post lugubres aliquot psalmos  
ante majoris aræ locum recitatos, &  
infixa pavimento non sinè lachrymis  
oscula, sacram ædem deseruit. O-  
vantes hæretici, tanquam in arcem de-  
ditam irruperunt, & quidquid orna-  
menti supererat, fœdè coñinuerunt.  
Nam Ariani sacris in ædibus nihil, præ-  
ter suggestum Oratoris & auditorum  
sedilia, esse patiuntur. Argentus ite-  
rum Senatores allocutus, cùmq; illis  
liberè non minus quam modestè vim  
illatam questus, nihil præter superba  
fastidia, & silentium minax retulit;  
ex quo planè intellexit esse demigran-  
dum.

dum. Igitur xiv. Kal. sextil. vergente  
in occasum sole, ne datō quidem ad  
supellec̄t̄ilem domesticam a sportandam  
spatiō, ab acti Patres, paucis Catholi-  
c̄is mōrōre suō pro sequentibus, de-  
ducti sunt, ne qua multitudini daretur  
occasio seditionis, à militum globo in  
vicinum pagum Monostorum.

Botskaius interim sub Idus sextiles  
Claudiopolim est ingressus; ut coro-  
nam ab Achmete Turcarum Impera-  
tore missam acciperet. Eo annuente,  
P. Joannes Argentus medio in confessu  
Procerum & Senatorum, pro Societate  
Claudiopolim revocanda peroravit.  
Ac primō quidem prudenter amolitus,  
quæ in eam falso & invidiosè jaētabā-  
tur, ejusdem statum int̄elicem ob ocu-  
los posuit, cū tamen aliud nihil ipsa,  
**ex quo** in Transsilvaniam erat accepta,  
quæsivisset, nisi ut publicæ tranquilli-  
tati, saluti civium & comodis, præser-  
tim Claudiopolitanorum, consulteret.  
Obtestatus deinde Principem est, ut  
eje-

ejectam restitueret, ac patrociniō suo  
 tegeret. Gratias egit Botskaius pro  
 tam prolixa Societatis in cives volun-  
 tate, & Patrem bono animo esse jussit;  
 quia res tamen majoris momenti vi-  
 debatur, comunicandam dixit cum iis  
 quorum interesset: sibi quidem Socie-  
 tam cordi semper & curæ futuram.  
 Hæc ille satis humaniter. Sed verbis  
 facta non responderunt. Et affirma-  
 verat aliàs ipsi P. Argento, deliberatū  
 sibi esse Societatem exigere, quia Ca-  
 tholicam Religionem in Transsilvania  
 sustentaret. Tamen causam ad Comi-  
 tia Regni, ut promiserat, retulit, eám-  
 que ibi disceptari passus est. Eatunc  
 habita sunt in oppido Medgyesiensi  
 ob loci opportunitatem. Oratores  
 duo, Arjanus alter, alter Calvinista,  
 veteres inimicitias & dissidium Religi-  
 onis obliti, convenerunt, ut contra So-  
 cietatem frequentissimâ concione de-  
 clamarent. Non deterritus adversa-  
 riorum pertinaciâ & atrocitate P. Ar-  
 gentus,

gentus , libellum supplicem Comitiis  
 offert : illis præerat Trausnerus , Ca-  
 tholicarum partium defensor acerri-  
 mus ; qui recitatō supplice libellō , Nos  
 si legibus & æquitate causa pendere-  
 tur , ejici non posse demonstravit . Col-  
 lecta suffragia . Vieta est numerō plu-  
 rium & improbitate causa ; confirmata  
 tum Societatis exiliū ; illiq; totâ Trans-  
 silvaniâ interdictum . Existimavit Ar-  
 gentus vivam vocem plus fortasse ro-  
 boris , quām libellos supplices , habitu-  
 ram . Dicendi veniam impetravit : di-  
 xitq; per sesqui horam sumâ omnium  
 Ordinum frequentiâ , quæ solitô major  
 eo die 14. Septemb. an. 1605. conve-  
 nerat , ad Principem inaugurandū . Vi-  
 ri eloquentiam , constantiam animi ,  
 defensionis veritatem omnes laudave-  
 runt . Erecti hac oratione , qui priùs  
 conticescebant Catholicī , partes no-  
 stras publicè tutati sunt : cùmque de  
 referendis ad Botskaium Decretis , ut  
 ea confirmaret , ageretur : tanta est

altercatio coorta de illo capite quod Societatem spectabat, ut, quia decidi nihil poterat, res integra fuerit Principi permissa.

Botskaius dolere se vehementer significavit, quod Claudiopolitanos Senatores tam infenos Societas haberet: daturum se operam, ne quid in eam praeter jus & æquum statueretur: deliberaturum cum Proceribus. Interea cum iter illi esset in Hungariam necessarium, vetuit ne quid novi constitueretur, donec reliret; ac ratu esse jussit quod in Comitiis de Societe fuerat sancitum. Cessit illa tum quidem Claudiopolis in reliqua tamen Transsilvania, praeter omnium opinionem aliquamdiu constitit: & Religioni Catholicæ libertas et cunque man sit. Gratias egere præpotenti DEO Patres, & in pago Monostoro eadem quæ in civitate munia obierunt, confluente ad eos ex oppido tanta Catholicorum multitudine, ut iis capiendis angustus pagus

pagus esset. Botskaius in Hungariam  
 accelerans, Transsilvaniæ præfecit Si-  
 gismundū Rakoczium, Dynasten Hun-  
 garum, qui ejusdem Transsilvaniæ prin-  
 cipatum postea obtinuit. Is Albam  
 Julianam statim profectus magnū agmē  
 Calvinistarum, quibus fidei magistris  
 utebatur, secum duxit. Subsecutus  
 est P. Argentus, metuens ne Collegiū  
 Societatis occuparent, quod ægerrimè  
 anno 1603. fuerat servatum, quo tem-  
 pore Moyses Siculus Albam Julianum cū  
 suis Tartaris obsidebat. Erat ea civi-  
 tas ita composita, ut pars interior mū-  
 rō septa esset, exterior, quæ multò la-  
 tiùs patebat, mœnibus careret. Ger-  
 mani qui pro Cæsare urbem præsidiō  
 tenebant, cùm exteriorem partem de-  
 fendere non possent, incendiō deleve-  
 runt, ne hostis illâ uteretur. Ignem  
 retorserunt hostes in partem urbis in-  
 teriorē, tantāmque vim ardentium  
 missilium injecere, ut illa quoq; pars  
 us propè tota deflagraverit. Collegium

inter tot busta incolume stetit, quamvis uno die sexies aliquando ignem variis in locis conciperet. Diceres beneficam Numinis providentiam eò potissimum invigilasse, ut scholas Societatis, quæ solæ in Transsilyania Catholice tunc erat, quasi Religionis seminarium, reseryaret. Divinò diu frui beneficio per hominum impietatem non licuit.

## C A P U T XI.

*Botskaius cedere Societatem universâ Transsilvanâ jubet.*

An. Chr. 1696.

Societ. 67.

PErtæsus Cæsar tot seditionum ac tumultuum, certas conditiones pacis obtulit Botskaio. Eas ille Comitiis dedit examinandas. Convenere Proceres,

Ceres, nec absuerunt hæreticarum partium ductores præcipui : Qui cùm æstuarent odio in Societatem, ejusque fortunis, et si erant perexiguæ, inhiant; petierunt ut decernetur, ne quis Sacerdos ullum in Transsilvania fundum possideret. Rejecit iniquum postulatum Catholica Nobilitas, ducibus præsertim actoribusque Trausnero, & Sarmaságio, viris Catholicæ fidei deditissimis. De petitione dejecti, confugiunt ad Botskaium : refricant veteres adversus Societatem calumnias, multa indignissimè comminiscuntur: monent graviora instare pericula, nisi perniciosorum hominum conatus maturè coercent. Botskaius scriptis minacibüs ex Hungaria ubi tum degebat, literis, Socios omnes Albâ Juliâ, & aliis quibusdam oppidis intra quintum decimum diem excedere, & in certi, quem iis assignabat, locum se recipere jubet : Patres Joannem Argentum Provinciæ Societatis Præpositum, &

Georgium Kaldum arcessit, rationem  
de objectis criminibus reddituros. Ve-  
nere ad eum Cassoviam. Satis beni-  
gnè in speciem acceptis, renunciat  
Societati cedendum universâ Trans-  
silvaniâ : non posse aliter placari in-  
censa hominû in eam odia, se illis ha-  
ctenus obstitisse ; nunc è rem dedu-  
ctam, ut obsiti ultrà non possit sine  
periculo & nostro, & suo. P. Argentus  
refutavit acriter quæ objiciebantur ;  
nullam à nobis injuriam neq; in Princi-  
pem, neq; in Regnum ortam esse de-  
monstravit. Nihil responsi tulit aliud,  
quàm fieri aliter non posse. Perditam  
nempe jamdiu Societatem Botskaius  
cupiebat, & quo die de illa pellenda  
deliberatû fuit, Franciscum Alagium  
Catholicum Nobilem, arcanorû consci-  
um, admonuit, ut abesset à Senatu, quia  
contra Papistas ferenda erat sententia :  
idque apertius altero post mense de-  
claravit, cù, instâte morte, (a) se meri-  
tò plecti exclamavit, quòd Societatem  
(a) 26. Decembris Trans-

Transsilvaniâ exturbâsset. Interim , famam æquitatis ambiens , veniam a- sportandi quæ vellent , Patribus dedi : & præsidiô militari stipatos , per infesta latronibus itinera in Poloniā deduci jussit.

Argentus cum suis Albâ Juliâ disce- dens , ad infinitam hominū multitudi- nem pro tempore verba fecit : recita- tisque publicè precibus , quibus Sancto- rum opem implorare nominatim Ec- clesia consuevit , ad fidem pacemque retinendam cohortatus est . Gemi- tus , & lachrymæ perorantem excepe- runt . Collegiorum ac templorum no- strorum bona partim in amicos , par- tim in pauperes , quantū in Sociis fuit , distributa : cetera direpta , & Fisco ad- dicta . Patres Cracoviam extremâ Decembri pervenere . Superiori men- se alii tres Varadino discesserant , post havatam per triennium Belgis , & Ger- manis militibus , qui locum tutaban- tur pro Cæsare contra Botskaium , &

ejus milites, operam, utilem illam quidem, at laboriosam, inter militares ærumnas, diram famem, ac morborū inauditorum incursus; quibuscū tamdiu nequicquam luctandum fuit, dum eorum causa latuit. Detecta tandem est. Sagæ amplius quadraginta Varadinum è variis locis accesserant, conjurata in mortaliū perniciēm cohors. Dicebantur secum invexisse nocte intempestā, unsi ex Erebī Principibus, qui aspectabili & Regiā indutus formā, curru triumphantis in morem vehens, in arcem subierat. Ejus ope, aerem, aquas, vias ipsas infecerant. Sæviit bienniō totō per omnem exercitum veneficarum iamanitas, & hominum duo milia paucis mensibus extinxit. Hos oculorum, illos pedum usu privabat: aliis fœdè os intumescens putrefcebat: aliis collidebantur tremuli artus, nervi contrahebantur; caput pectusque miserè debilit abatur. Postquam origo mali cognita fuit ex aliquor

ve  
sustu.  
sacran  
dignit.  
Steph  
se per  
exiliun  
quitati  
Ecclesia  
vandas  
tunt, e6q;  
td annu.  
in acr  
bat, i  
Que  
Cath  
Pem i  
& alia

